DE

CAUSA FINALI ARISTOTELEA

SCRIPSIT

GUSTAVUS SCHNEIDER
DOCTOR PHIL.

BEROLINI
TYPIS ET IMPENSIS GEORGII REIMERI
MDCCCLXV.

FRIDERICO ADOLFO TRENDELENBURG

HUNC LIBRUM

PIETATIS ET ANIMI GRATI

MONUMENTUM ESSE VOLUIT

GUSTAVUS SCHNEIDER.

Causa finalis summum est philosophiae Aristoteleae principium. Atque in omnibus doctrinae partibus, ut decet egregium illum philosophum, hanc causam quasi regnare et omnia ex ea apta esse ac suspensa, si rem paullo accuratius inspexeris, facile intelleges. Et tamen ubi maxime expositio eius requiritur plena ac perfecta, dico in metaphysicorum libris, pauca de ea proferuntur. Reperitur quidem de fine disputatio in physicorum secundo atque etiam copiosior in primo de partibus animalium libro; sed neutra est eiusmodi, ut nihil ultra desideres, neque si quae loco utroque docentur coniunxeris, toti huic quaestioni satisfactum est. Praeter illos autem libros in scriptis Aristoteleis passim obviam fiunt loci qui ad causam illam spectant atque naturam eius aliqua ex parte aperiunt. Itaque operae pretium facturi esse nobis videbamur, si quae dispersa et dissipata apud Aristotelem leguntur, componeremus et inter se conciliaremus ita, ut omnia ex eodem fonte emanasse appareret. Tali enim modo Aristotelem quae, ubicunque sit, de causa finali protulerit mente fuisse complexum, propter summum eius ingenium credere convenit. At haec quaestio tot tantisque et philologicis et philosophis obstructa est difficultatibus, ut expe-

diendis iis ac removendis iuvenis vix par esse possit. Itaque sperare licet homines doctos in hoc libro iudicando ad ignoscendum futuros esse faciliores. Neve quis nimiae virium confidentiae tribuat, quod opus tam arduum aggressi sumus. Nam ubi ut in causae finalis apud Aristotelem naturam inquireremus in animum induximus, nondum quae essent difficultates perspicere poteramus. Neque hunc librum ausi essemus foras edere, nisi aliis qui doctrinam Aristoteleam probe norunt in explicanda Stagiritae philosophia eo aliquid profecisse essemus visi. Atque, ne implicaremur erroribus, in tota disputatione hoc maxime curavimus, ut devitaremus omnes coniecturas atque existimationes incertas neve quidquam statueremus quod Aristotelis verbis non inniteretur. Sed haec ipsa saepe intellectu admodum sunt difficilia, ita ut nonnumquam alios aliam iis subicere sententiam non sit, cur mireris. Neque raro nobis a reliquorum interpretum explicationibus erat discedendum. Quod ubi accidit in locis qui maioris momenti esse videbantur, cur iis non assentiremur apposuimus argumenta. Quod minime fecimus consilio eo, ut homines illos doctos vituperaremus, sed ob hanc solam causam, ne quid temere statuisse videremur.

Scr. Berolini mens. April. a. MDCCCLXV.

Commentationis dispositio.

Admirationem verissime ait Aristoteles et esse et fuisse causam philosophandi [1]). Admiramur enim, ubi rei naturam ignoramus [2]), qua admiratione ipsa ut accuratius in res inquiramus easque studeamus cognoscere adducimur. Cognoscere autem res, id habet hanc sententiam: cognoscere earum causas [3]). In qua indagatione acquiescere in finitis et determinatis non possumus, quippe quae ex aliis suspensa et apta sint, ita ut eorum ipsorum causae sint investigandae. Sic inquisitione ipsa impellimur quasi et cogimur ad primas et absolutas rerum causas quaerendas [4]). Iam hac ratione si res indagamus, ad causas pervenimus quattuor [5]). Primum enim causa dicitur id ex quo substrato aliquid oritur. Deinde causa vocatur forma et exemplar, *τὸ εἶδος καὶ τὸ παράδειγμα,* quemadmodum diapason efficitur ratione quae inter duo et unum intercedit atque in universum numero. Tum causam vocamus id unde profectum est initium rei aut mutatae aut in quietem redactae, quam causae significationem si respicis, is qui suasit est causa et pater filii atque omnino id quod efficit eius quod efficitur causam dicimus. Denique causa est finis et ultimum, cuius gratia aliquid fit, veluti ambulandi causa est salus.

---

[1]) Met. A, 2. 982 b 12: *διὰ γὰρ τὸ θαυμάζειν οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν καὶ τὸ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν.* Cf. Plat. Theaet. p. 155 D.

[2]) Met. A, 2. 982 b 17.

[3]) Phys. II, 3. 194 b 17: *ἐπεὶ γὰρ τοῦ εἰδέναι χάριν ἡ πραγματεία, εἰδέναι δ' οὐ πρότερον οἰόμεθα ἕκαστον πρὶν ἂν λάβωμεν τὸ διὰ τί περὶ ἕκαστον.*

[4]) Phys. I, 1. 184 a 12: *τότε γὰρ οἰόμεθα γινώσκειν ἕκαστον, ὅταν τὰ αἴτια γνωρίσωμεν τὰ πρῶτα καὶ τὰς ἀρχὰς τὰς πρώτας καὶ μέχρι τῶν στοιχείων.* Met. A, 3. 983 a 24: *τῶν ἐξ ἀρχῆς αἰτίων,* 983 a 25: *τὴν πρώτην αἰτίαν.* Cf. Bonitz. comment. p. 59.

[5]) Phys. II, 3.

Videmus igitur Aristotelem quattuor quas posuit causas ex ipsa rerum natura earumque consideratione repetiisse. Neque minus id apparet ex metaphysicorum libri primi parte ea, ubi doctrinas a philosophis superioris aetatis constitutas tradit. Profert enim eadem quae iam vidimus rerum principia ineunte capite tertio metaphysicorum libri primi, ubi in hunc ordinem sunt redacta: primum ait causam esse substantiam et notionem substantialem, *τὴν οὐσίαν καὶ τὸ τί ἦν εἶναι*, 983 a 27, deinde materiam et substratum, *τὴν ὕλην καὶ τὸ ὑποκείμενον*, 983 a 29, tum id unde motus exoriatur, *ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως*, 983 a 30, denique id cuius causa aliquid fiat et bonum, *τὸ οὗ ἕνεκα καὶ τἀγαθόν*, 983 a 31. Qua ratione autem ad has rerum causas statuendas perveniamus, etsi diserte non dicit, tamen ex iis quae sequuntur cognoscere licet. Nam proferendis priorum philosophorum doctrinis non modo hoc demonstrare studet, constituta esse haec principia iam ante se a philosophis neque aliud praeterea causarum genus a quoquam esse repertum, verum etiam aliud quid inest. Una enim docet, cum homines progrederentur in rebus considerandis earumque causis investigandis, quin quattuor haec principia agnoscerent, fieri omnino non potuisse, atque ipsa rei natura et veritate, haec principia ut constituerent, philosophos superiores esse coactos [1]). Quod paullo accuratius inspicere ipsa rei gravitate iuberi nobis videmur. Primo quidem philosophos docet non posuisse causam nisi materialem eiusque aut unum aut compluria genera. Quod postquam paucis exposuit proferendis singulis superiorum philosophorum doctrinis, ipsam rei naturam ait illis viam munivisse atque coegisse, ut accuratius in res inquirerent. Nam etiamsi omnis ortus atque interitus ex uno aut e compluribus sit, tamen, quo efficiatur, esse quaerendum. Minime enim substratum ipsum, ut moveatur, facere posse, nam neque lignum neque

---

[1]) Met. A, 3. 984 a 18: *προϊόντων δ' οὕτως αὐτὸ τὸ πρᾶγμα ὡδοποίησεν αὐτοῖς καὶ συνηνάγκασε ζητεῖν.* 984 b 9: *πάλιν ὑπ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας, ὥσπερ εἴπομεν, ἀναγκαζόμενοι τὴν ἐχομένην ἐζήτησαν ἀρχήν.* Phys. I, 5. 188 b 29.

aes esse causam movendi, nec facere lignum lectum aut aes statuam, sed aliud quid esse mutationis causam. Hanc autem quaerere, id sibi velle, indagare alterum causarum genus, unde exordium sit motionis[1]). Sed cum ne duae quidem causae satis fuerint ad ortum rerum naturamque intellegendam, rursus veritate ipsa philosophos tertiam ut investigarent esse adactos. Quod enim bene et pulchre aliae res se habeant, oriantur aliae, neque ex elementis causam repetere licere neque casui opus tam magnum tamque praeclarum esse tribuendum. Sic impulsos esse philosophos, ut ordinis pulchritudinisque quae in hac rerum universitate cernatur causam statuerent mentem, hoc est, ut constituerent causam finalem. Sin autem finalem sumimus causam, una agnoscamus necesse est causam formalem, quippe quae artissime inter se cohaereant. Ipsa igitur rerum natura philosophos ut quattuor illas causas constituerent adduxit. Quo demonstrato reliqua quae ab Aristotele in metaphysicorum libro primo de superiorum philosophorum sententiis traduntur omittere posse nobis videmur, cum quae adhuc disputata sunt proposito nostro sufficiant. Satis enim comprobatum esse putamus, quattuor quae statuit principia Aristotelem repetiisse ex ipsa rerum natura.

Sed iam progrediamur ad summam quam constituit philosophus causam, ad causam finalem accuratius considerandam. Ac primum quidem argumenta quibus eam in rerum natura obtinere comprobare studuit examinare liceat. Nam homines quidem fines sibi proponere atque persequi posse, demonstratione egere non putavit[2]). Ex illis autem argumentis unum iam vidimus. Ordinem enim ait ac pulchritudinem quae in hac rerum universitate cernatur adegisse philosophos, ut a mente rerum principium peterent. Quod quamvis verissimum esse Aristoteli concedamus atque hominum animos ab omni antiquitate maxime mundi ordinisque eius et pulchritudinis aspectu, ut divinum numen agnoscerent, esse commotos credere conveniat, tamen hoc argumentum satis non esse apparet.

---

[1]) Met. A, 3. 984 a 18sqq.

[2]) Eth. Nic. I, 1. in. Polit. I, 1. in.

Nam et fuerunt et sunt, qui talia quoque aut casui aut attractionis et repulsionis aliisque id generis viribus tribuant. Itaque progrediamur ad consideranda argumenta ea quae in physicorum libri secundi capite octavo proponit, ubi[1]) „Dubitationem", ait, „exhibet, quid impediat, quominus naturam non alicuius rei causa operari neque id efficere quod melius sit statuamus, sed omnia facere necessario, quemadmodum Jupiter non pluit, ut segetes crescant, sed necessario. Nam id quod sursum latum est necesse est refrigescat atque decidat, postquam refrigeratum et in aquam commutatum est. Quod autem eo facto segetes crescunt, id per accidens fit. Quid igitur impedit, quominus eadem ratione etiam partes rerum naturalium se habeant, veluti quominus dentes oriantur necessario primores quidem acuti, ita ut idonei sint cibis dissecandis, genuini autem planiores et ad molendos cibos apti, cum non ob eam causam tales facti sint, sed id una evenerit, similiterque etiam in reliquis corporis partibus res se habeat, in quibus finis inesse nobis videtur? Nam credere licet, ubi cunctae partes evenerint tales, quales etiam, si alicuius rei causa exstitissent, ea quidem corpora conservata esse, cum sponte orta sint idonea, quaecunque autem secus, et interiisse et interire, quemadmodum periisse Empedocles dicit boves a priore parte in hominum similitudinem conformatos."

Quibus extremis breviter et obscure significatur ratio qua Empedocles mundi rerumque quae in eo insunt ortum explicare studuerat, cuius opinionis vestigia quae in capite de quo agimus et Phys. II, 4. 196 a 20seqq. reperiuntur optime composuit Trendelenburgius, Vir Summus, in hunc fere modum[2]): „Dum amor et odium, h. e. vires coniungentes et dissolventes, inter se certant, elementa quaedam et figurae concurrunt. Quae si ita conveniunt, ut postquam concreverunt servari nequeant, res ex iis compositae rursus pereunt, contra partes quae inter se concinunt atque ita, ut conservari possint, con-

[1]) Cf. p. 198 b 16 sqq.
[2]) Log. Unters II, p. 63.

currunt, corpora quae possunt durare efficiunt[1]). Itaque quamvis sponte et fortuito res ortae sint, tamen sunt eiusmodi, quasi per causam finalem sint effectae, quocirca corporis partes alicuius rei causa, h. e. ad certas totique corpori convenientes functiones exhibendas institutae esse nobis videntur. Iam cum non noverimus nisi naturas ita comparatas, ut possint conservari, in rerum natura ubicunque causam finalem valere opinamur."

Contra quam rationem Empedocleam Aristoteles provocat ad constantiam quae in rebus naturae cernatur. Quaecunque enim natura gignantur aut semper oriri eadem ratione aut plerumque, contra ex iis quae casu et fortuito exsistant nihil ita se habere. Non enim casu videri saepe pluere hieme, sed si sub sidere caniculari saepe pluat, neque aestus dici sub stella canina, sed hieme accidere casu. Itaque cum res aut casu et fortuito sint aut ob aliquam causam, talia autem casu fieri nequeant, ob aliquam causam sint necesse esse. Cum vero natura sint talia omnia, in naturalibus rebus causam finalem esse agnoscendam. Qua argumentatione, si quid video, nihil efficitur. Nititur enim notione quam casus atque fortuiti Aristoteles constituit, maxime eo quod casu esse non possint ea quae aut semper aut plerumque eadem ratione eveniant[2]). Sed credendum est, Empedoclem concessisse iterum iterumque elementa concurrisse et rursus fuisse dissoluta, priusquam res quae possent durare exsisterent. Quod idem statuit Lucretius[3]).

---

[1]) Cui rerum ortarum explicationi conferre licet Lucret. V, 415 sqq.

[2]) Phys. II, 5 in.

[3]) Cf. V, 837 sqq.:

Multaque tum tellus etiam portenta creare
conatast mira facie membrisque coorta,
androgynum, interutraque nec utrum, utrimque remotum,
orba pedum partim, manuum viduata vicissim,
muta sine ore etiam, sine voltu caeca reperta,
vinctaque membrorum per totum corpus adhaesu,
nec facere ut possent quicquam nec cedere quoquam
nec vitare malum nec sumere quod foret usus.

Itaque etiam in rationem Empedocleam convenit notio casus quam Aristoteles proponit, dummodo rerum originem respiciamus, non, id quod facit Aristoteles, statum qui secutus est. Constantia autem quae in rerum natura inest, Empedoclem si sequimur, effecta est eo quod interierunt omnia animalium et plantarum genera, exceptis iis quae talia exstiterunt, ut non tantum ipsa durare possent, verum etiam saecla sua propagare. Quid vero contra talem opinionem proferendum sit, optime vidit Cicero qui[1]) „Hoc qui existimat," ait, „fieri potuisse, non intellego, cur non idem putet, si innumerabiles unius et viginti formae litterarum, vel aureae vel qualeslibet, aliquo coniciantur, posse ex his in terram excussis annales Ennii, ut deinceps legi possint, effici; quod nescio an ne in uno quidem versu possit tantum valere fortuna."

Sed iam pergamus ad considerandum argumentum alterum, quod in eodem physicorum capite reperitur. Ait enim Aristoteles in iis quae argumentum de quo disputavimus sequuntur: „In quibus finis inest, in iis quae priora sunt illius causa efficiuntur. Quam ob rem quemadmodum fit, ita constat unumquidque atque constat ita, quemadmodum fit, nisi quid impediat. Efficitur autem alicuius rei causa, itaque etiam constat huius rei causa. Veluti domus si esset in iis quae natura fiunt, oreretur eadem ratione qua nunc per artem; contra si res naturales non modo natura, verum etiam arte exsisterent, eadem ratione qua nunc natura orerentur. Alterum

---

Cetera de genere hoc monstra ac portenta creabat,
ne quiquam, quoniam natura absterruit auctum,
nec potuere cupitum aetatis tangere florem
nec reperire cibum nec iungi per Veneris res.
Multa videmus enim rebus concurrere debere,
ut propagando possint procudere saecla;
pabula primum ut sint, genitalia deinde per artus
semina qua possint membris manare remissa,
feminaque ut maribus coniungi possit avere,
mutuaque insinuent inter se gaudia uterque.
Multaque tum interiisse animantum saecla necessest
nec potuisse propagando procudere prolem.

[1]) Cf. de nat. deor. II, 37.

igitur alterius causa est. Atque omnino ars alia perficit et absolvit, quae natura efficere non valet, alia, quae a natura perfecta sunt, imitatur. Itaque si quae per artem fiunt alicuius rei causa sunt, etiam naturales res alicuius rei causa esse apparet. Nam eadem ratio in rebus et artis et naturae intercedit posterioribus cum iis quae sunt priora.“ Quod argumentum si paucis complectimur, est hoc: Finis natura est ea, ut quae, ortum si spectas, *τῇ γενέσει*, sunt priora, ex ultimo et extremo sint suspensa. Quam rationem in rebus quae arte efficiuntur obtinere apparet. Atqui ars naturam aut imitatur aut perficit et ad absolutionem perducit ea quae natura absolvere non potest. Ergo etiam in naturalibus rebus causa finalis operetur necesse est. Sed ne hoc quidem argumentum comprobandum est. Nam etsi ars, quam fines propositos sequi apparet, naturam imitatur, tamen id tum quoque fieri potest, si mundus atque res quae in eo insunt ea qua voluit Empedocles ratione exstiterunt [1]).

Tertium denique argumentum, quo philosophus causam finalem regnare in rerum natura evincere studet, reperitur Phys. II, 6. 198 a 5 seqq., ubi, postquam casus et fortuiti naturam exposuit, pergit in hunc fere modum: „Cum casus et fors causae sint eorum quorum etiam mens aut natura causa esse potest, quando per accidens causa quid fit eorum ipsorum, nihil autem quod per accidens est prius sit iis quae per se sunt, ne accidentalem quidem causam causa quae per se est priorem esse apparet. Posterior igitur casus ac fors est et mente et natura.“ Cui demonstrationi multum momenti tribuendum esse vix putamus. Nam causa finali ipsa nisus philosophus casus et fortis naturam definierat, neque quisquam notionem casus quam Aristoteles proponit accipiet, nisi finem causam esse primariam iam antea agnoverit. Itaque id quo Stagirites causam finalem obtinere comprobare studet, ex hac ipsa aptum suspensumque est. Atque praeterea aliud quid illi argumentationi opponere licet. Etiamsi

---

[1]) Trendelenb. Log. Unters. II, p. 66.

enim id quod modo obiectum ei a nobis est omittimus, tamen illo argumento nihil comprobatur nisi notione causam finalem casu esse priorem, re autem et veritate non item; sive ut utamur Aristotelea dicendi ratione: comprobatur nobis quidem causam finalem casu esse priorem, re et natura minus[1]).

Haec sunt argumenta quibus philosophus causam finalem in rerum natura valere demonstrare studuit; quibus consideratis et examinatis progrediamur iam ad contemplandam causae finalis naturam et indolem, qualis ab Aristotele constituta sit.

Unaquaeque res de Aristotelis quidem sententia gignitur a natura, ut certo quodam opere perfungatur. Sic oculi oriuntur, ut videant, ut cibos comminuant dentes, ac primores quidem ut escas dissecent, ut conterant molares. Nihil enim natura frustra efficit, sed unicuique rei quam procreat opus aliquod exsequendum imponit atque huius operis causa gignit[2]). Itaque opus rei finis est atque res ipsa eius instrumentum[3]). Quocirca natura unicuique non tribuit, nisi quo possit uti[4]). Neque aliter agunt homines, certe prudentes qui sunt. Nam faciunt serram, ut eius auxilio ligna aliaque id generis dissecent, aedificant domus, ut a tempestatum iniuriis se defendant.

Operum autem duo sunt genera. Primum enim opus in ipsa actione inesse potest, cuiusmodi opera nos quidem actionibus immanentia vocare solemus, Aristoteles *ἐνυπάρχοντα* dicit[5]). In quo numero sunt videre, cogitare, vivere, quae omnia ab actionibus separari nequeunt, immo continentur actionibus ipsis. Quocirca unoquoque temporis momento

---

[1]) Trendelenb. Log. Unters. II, p. 65.

[2]) Polit. I, 2 1253 a 9: *οὐθὲν γάρ, ὡς φαμέν, μάτην ἡ φύσις ποιεῖ.* De part. an. IV, 12. 694 a 14.

[3]) De part. an. I, 5. 645 b 14: *ἐπεὶ δὲ τὸ μὲν ὄργανον πᾶν ἕνεκά του, τῶν δὲ τοῦ σώματος μορίων ἕκαστον ἕνεκά του, τὸ δὲ οὗ ἕνεκα πρᾶξίς τις, φανερὸν ὅτι καὶ τὸ σύνολον σῶμα συνέστηκε πράξεώς τινος ἕνεκα πλήρους.*

[4]) L. l. IV, 10. 687 a 10. 8. 684 a 28. III, 1. 661 b 23.

[5]) Met. Θ, 6. 1048 b 22.

actio plena ac perfecta est, ita ut simul videamus et viderimus, cogitemus et cogitaverimus, vivimus et vixerimus[1]). Quod idem cernitur in multis rebus quae ab hominibus perficiuntur. Veluti aedificii opus est, ut nos tueatur a tempestatum iniuriis, figuram geometricam describimus, ut cogitationem quandam quasi exprimat et repraesentet, qui fines propositi una cum rebus ipsis et unoquoque temporis momento, quamdiu res durat, adsunt. Quamvis enim talibus rebus, utpote immotis, actiones tribuere non conveniat, tamen ea quae praestant naturalibus illis operibus modo a nobis commemoratis prorsus respondere apparet.

Alterum autem genus est, ubi id quod efficitur ab actione est diversum, veluti id quod procreatur et procreatio, cibi comminuti et dentium morsus inter se differunt. Cuiusmodi opera esse etiam rerum ab hominibus effectarum ut demonstremus, ad instrumenta aliaque id generis provocare videtur esse satis[2]).

Ut autem res opus suum exsequi possit, secundum illud ipsum conficiatur prorsus est necesse. Non enim usum ad instrumentum instituere licet, sed instrumentum ad usum, neque sectio serrae causa facta est, sed dissecandi gratia serra[3]). Quam ob causam serrae, ut scindat ligna, laminam efficimus tenuem et proceram dentibusque eam instruimus; atque similiter domum, ut a tempestatibus nos defendat, muris saepimus imponimusque tectum. Neque aliter operatur natura[4]).

---

[1]) De sens. 6. 446 b 2. Soph. el. 22 178 a 9. Met. Θ, 6. 1048 b 23.

[2]) Saepe quidem Aristoteles distinguit inter utrumque actionum genus atque vocat alteras *ἐνεργείας*, *κινήσεις* alteras. Met. Θ, 6. 1048 b 28: *τούτων δὴ τὰς μὲν κινήσεις λέγειν, τὰς δ' ἐνεργείας.* 1048 b 34. Tamen non satis sibi constat in hoc dicendi genere, cf. Eth. Nic. I, 1. 1094 a 3: *διαφορὰ δέ τις φαίνεται τῶν τελῶν· τὰ μὲν γάρ εἰσιν ἐνέργειαι, τὰ δὲ παρ' αὐτὰς ἔργα τινά. ὧν δ' εἰσὶ τέλη τινὰ παρὰ τὰς πράξεις, ἐν τούτοις βελτίω πέφυκε τῶν ἐνεργειῶν τὰ ἔργα.* Atque etiam *τὴν ἐνέργειαν* vocat *ἔργον*, cf. Met. Θ, 8. 1050 a 21: *τὸ γὰρ ἔργον τέλος, ἡ δὲ ἐνέργεια τὸ ἔργον.*

[3]) De part. an. I, 5. 645 b 17.

[4]) De part. an. IV, 12. 694 b 13: *τὰ δ' ὄργανα πρὸς τὸ ἔργον ἡ φύσις ποιεῖ, ἀλλ' οὐ τὸ ἔργον πρὸς τὰ ὄργανα.*

Quocirca dentes primores, ut dividant escas, perfecit acutos, latiores planioresque molares, ut cibos conterant. Sic finis ipse instrumentum suum constituit, quod si perfectum est, etiam finis ipse re exsistit. Veluti oculi finis est videre, quae actio ut perficiatur, natura procreat oculum, quo facto etiam visus adest atque id quod oculum constituerat iam oculo efficitur. Itaque actus videndi vera oculi vis ac natura est, quam ob rem oculus, si e statu potentiali in actum transit, ad semet ipsum quasi progreditur, cum suum assequatur finem. Optime igitur Aristoteles illum transitum vocat *ἐπίδοσιν εἰς αὐτό* [1]).

Videmus igitur finem, h. e. opus exsequendum constituere rei naturam. Iam ut bene res opere suo fungi possit, necesse est efficiatur secundum id ad quod opus spectat. Sic dentes accommodandi sunt nutrimento, quo animal usurum est, luci oculi, serra lignis. Atque in hoc quidem maxime finis natura cernitur, ut res ad aliud quid conformetur et instituatur; id quod Aristoteles optime intellexit et constanter per totam doctrinam servavit. Itaque cuiusque animalis naturam accommodatam esse voluit elemento ei in quo vivat. Non enim putavit, animal quod tali modo sit institutum, in tali degere elemento, sed quod in tali elemento futurum sit, tali modo a natura conformari atque institui. Veluti, Aristotelem si sequimur, terrestribus animantibus natura dedit pulmones, quia calorem qui in corpore inest refrigeraturi erant aere, contra branchias piscibus quippe aqua frigefacturis [2]). Atque etiam alioquin natura animalium vivendi rationi convenit. Sic insectarum volucrium eae quae nutrimenti adsciscendi causa loca mutent ac migrent oportet, quattuor alis instructae sunt atque leviore corpore utuntur, veluti apes et quae eiusdem sunt generis [3]). Pariter inter avium rostra discrimina intercedunt ea, ut vitae modo singulis generibus proprio con-

---

[1]) De anim. II, 5. 417 b 6: *εἰς αὐτὸ γὰρ ἡ ἐπίδοσις καὶ εἰς ἐντελέχειαν.* Trendelenb. comment. p. 366.

[2]) De part. an. III, 6. in.

[3]) L. l. IV, 6. 682 b 6.

gruant[1]), veluti aves rapaces curvis utuntur rostris, utpote quae idoneae sint bestiis aliis superandis et dilacerandis, contra quae àves in paludibus degunt atque vescuntur herbis, latiora habent rostra, ut fodere possint et carpere herbas. Atque harmonia a natura praestabilita est inter sensus atque eorum obiecta. Cum enim sensus recepturi sint rerum formas, secundum eas ipsas instituantur necesse est, atque illarum respondeant naturae. Itaque sensitivum potentia est, quale sensibile iam actu. Neque aliter res in mente se habet[2]).

Igitur hac quoque ex parte finis constituit rem. Quo efficitur, ut vera ac primaria rei natura consistat in eo, ut opus suum exsequatur aut certe possit exsequi. Itaque oculus amissa videndi facultate non amplius est oculus, nisi quod eodem utitur nomine, ita ut in eodem atque lapideus oculus numero sit, neque medicus est, nisi qui medici opere fungitur; is autem qui hoc praestare nequit, medicus est, quemadmodum etiam pictum medicum dicimus[3]). Quapropter etiam notio rei ex eius fine atque opere pendet, ita ut, definire si quid volumus, definitione necesse sit contineatur opus[4]).

Nihil vero discriminis intercedit inter notionem rei et

---

[1]) L. l. IV, 12. 693 a 10.

[2]) De anim. II, 5. 418 a 3: *τὸ δ' αἰσθητικὸν δυνάμει ἐστὶν οἷον τὸ αἰσθητὸν ἤδη ἐντελεχείᾳ.* III, 8. 431 b 26: *τῆς δὲ ψυχῆς τὸ αἰσθητικὸν καὶ τὸ ἐπιστημονικὸν δυνάμει ταῦτά ἐστι* (cf. Trendelenb. comment. p. 525. *ταὐτόν* Bekk.) *τὸ μὲν ἐπιστητὸν τὸ δὲ αἰσθητόν. ἀνάγκη δ' ἢ αὐτὰ ἢ τὰ εἴδη εἶναι. αὐτὰ μὲν γὰρ δὴ οὔ. οὐ γὰρ ὁ λίθος ἐν τῇ ψυχῇ, ἀλλὰ τὸ εἶδος· ὥστε ἡ ψυχὴ ὥσπερ ἡ χείρ ἐστιν· καὶ γὰρ ἡ χεὶρ ὄργανόν ἐστιν ὀργάνων, καὶ ὁ νοῦς εἶδος εἰδῶν καὶ ἡ αἴσθησις εἶδος αἰσθητῶν.* Cf. quae infra disputabuntur, unde mens veritatem suam ceperit.

[3]) De part. an. I, 1. 640 b 35: *ἔτι δ' ἀδύνατον εἶναι χεῖρα ὁπωσοῦν διακειμένην, οἷον χαλκῆν ἢ ξυλίνην, πλὴν ὁμωνύμως, ὥσπερ τὸν γεγραμμένον ἰατρόν. οὐ γὰρ δυνήσεται ποιεῖν τὸ ἑαυτῆς ἔργον, ὥσπερ οὐδ' αὐλοὶ λίθινοι τὸ ἑαυτῶν ἔργον, οὐδ' ὁ γεγραμμένος ἰατρός. ὁμοίως δὲ τούτοις οὐδὲ τῶν τοῦ τεθνηκότος μορίων οὐδὲν ἔτι τῶν τοιούτων ἐστί, λέγω δ' οἷον ὀφθαλμός, χείρ.*

[4]) Met. Z, 10. 1035 b 16: *ἕκαστον γοῦν τὸ μέρος* (scil. *τοῦ σώματος*) *ἐὰν ὁρίζηται καλῶς, οὐκ ἄνευ τοῦ ἔργου ὁριεῖται, ὃ οὐχ ὑπάρξει ἄνευ αἰσθήσεως.* Meteor. IV, 12. 390 a 10.

formam[1]), nisi velis formam significare rei naturam, quatenus in re ipsa insit, obiective quod vocant, quatenus a mente cogitetur, subiective quod dicimus, notionem. Itaque causa formalis e causa finali prorsus apta ac suspensa est, quod maxime cognoscimus, si cuius rei notionem ab Aristotele ipso propositam consideramus. Veluti[2]) domum definit ita, ut tegumentum sit, quod nos a ventis et imbribus atque aestibus tueatur, quam notionem non modo continere finem, verum etiam eo constitutam esse apparet. Praeterea autem forma si perfecta et absoluta est, etiam opus sive finis adest aut certe facultas operis exsequendi. Sic oculi si perfecti sunt, vident aut certe possunt videre, dentes ubi facti sunt, mandunt aut certe facultas mandendi suppetit. Quo fit, ut omnis in rerum natura ortus ad formam atque substantiam tendat, cum ea absoluta etiam finis re exsistat[3]). Itaque causa finalis et causa formalis ad idem fere redeunt[4]).

Sin autem forma est ad quam ortus tendit, ut omnis fiundi oriundique ratio ex ea pendeat efficitur. Talis enim forma ut exsistat necesse est, quam ob causam ortus omnesque eius gradus secundum eam sunt instituendi. Itaque principium oriundi est id quod erit, non id quod est[5]), nam ortus

---

[1]) De an. I, 1. 403 b 2: *ὁ μὲν γὰρ λόγος εἶδος τοῦ πράγματος.*

[2]) De an. I, 1. 403 b 4.

[3]) Phys. II, 1. 193 b 12: *ἔτι δ' ἡ φύσις ἡ λεγομένη ὡς γένεσις ὁδός ἐστιν εἰς φύσιν. . . . ἡ ἄρα μορφὴ φύσις*, coll. Polit. I, 2. 1252 b 31: *ἡ δὲ φύσις τέλος ἐστίν· οἷον γὰρ ἕκαστόν ἐστι τῆς γενέσεως τελεσθείσης, ταύτην φαμὲν τὴν φύσιν εἶναι ἑκάστου.* Phys. II, 2. 194 a 28: *ἡ δὲ φύσις τέλος καὶ οὗ ἕνεκα.*

[4]) Met. H, 4. 1044 b 1: *ἴσως δὲ ταῦτα* (sc. *τὸ εἶδος καὶ τὸ τέλος*) *ἄμφω τὸ αὐτό.* Phys. II, 8. 199 a 30: *καὶ ἐπεὶ ἡ φύσις διττή, ἡ μὲν ὡς ὕλη ἡ δ' ὡς μορφή, τέλος δ' αὕτη, τοῦ τέλους δ' ἕνεκα τἆλλα, αὕτη ἂν εἴη ἡ αἰτία ἡ οὗ ἕνεκα.* De gen. an. I, 1. 715 a 4: *ὑπόκεινται γὰρ αἰτίαι τέτταρες, τό τε οὗ ἕνεκα ὡς τέλος, καὶ ὁ λόγος τῆς οὐσίας. ταῦτα μὲν οὖν ὡς ἕν τι σχεδὸν ὑπολαβεῖν δεῖ.* De gen. et corr. II, 9. 335 b 5: *ὡς μὲν ὕλη τοῦτ' ἐστὶν αἴτιον τοῖς γενητοῖς, ὡς δὲ τὸ οὗ ἕνεκεν ἡ μορφὴ καὶ τὸ εἶδος· τοῦτο δ' ἐστὶν ὁ λόγος ὁ τῆς ἑκάστου οὐσίας.* De part. an. I, 1. 639 b 14.

[5]) De part. an. I, 1. 640 a 3.

substantiae causa est, minime vero substantia ortus gratia [1]). Si igitur domus efficienda est vel aliud quid, fieri atque moveri necesse est primum hoc, deinde illud atque hac ratione omnia deinceps, donec rei forma ac substantia perfecta est [2]). Iam apparet, quae ratio formae et notioni cum ortu singulisque eius gradibus intercedat. Notio enim et forma erat primum, contra ortum si spectamus est ultimum; nam tum demum rei substantia perfecta est, cum ortus gradus absoluti sunt omnes [3]). Quod ut magis appareat, fingamus medicum qui homini aegroto mederi vult, h. e. qui in corpore illius efficere vult sanitatem. Sanitas igitur ei finis est atque propositum. Haec autem ut exsistat, aliud quid antea fiat necesse est, veluti iusta corporis temperies; haec autem ut efficiatur, opus est calore. A sanitatis igitur notione incipiens medicus secum reputat ac deliberat, donec pervenit ad id quod ipse perficere valet [4]). Veluti calorem efficere potest frictione, fricat igitur corpus, quo exsistit calor; is autem restituit iustam corporis temperiem, quae bonae valetudinis est causa. Sic quod cogitationis fuerat primum, ultimum est ortus, id quod ex primaria et intima finis natura consequitur. Neque Aristoteles hanc cogitationis et ortus effectusque oppositionem non intellexit [5]). Itaque dicere licet sanitatem fieri e sanitate, cum sanitas cum materia coniuncta exsistat e sanitate quae materia caret. Nam concepta erat sanitas mente medici atque ars medica ipsa sanitatis notio est [6]).

---

[1]) L. l. a 18.

[2]) Phys. II, 8. 199 a 8: *ἔτι ἐν ὅσοις τέλος ἐστί τι, τούτου ἕνεκα πράττεται τὸ πρότερον καὶ τὸ ἐφεξῆς.* De part. an. I, 1. 640 a 15: *μᾶλλον γὰρ τάδε συμβαίνει καὶ περὶ τὴν οἰκοδόμησιν, ἐπεὶ τοιόνδ' ἐστὶ τὸ εἶδος τῆς οἰκίας, ἢ τοιόνδ' ἐστὶν ἡ οἰκία, ὅτι γίνεται οὕτως.* I, 1. 639 b 26. 640 b 1.

[3]) Phys. VIII, 7. 261 a 13: *ὅλως δὲ φαίνεται τὸ γινόμενον ἀτελὲς καὶ ἐπ' ἀρχὴν ἰόν, ὥστε τὸ τῇ γενέσει ὕστερον τῇ φύσει πρότερον εἶναι.*

[4]) Met. Z, 7. 1032 b 6 sqq.

[5]) Met. Z, 7. 1032 b 15: *τῶν δὲ γενέσεων καὶ κινήσεων ἡ μὲν νόησις καλεῖται ἡ δὲ ποίησις, ἡ μὲν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς καὶ τοῦ εἴδους νόησις, ἡ δ' ἀπὸ τοῦ τελευταίου τῆς νοήσεως ποίησις.* Eth. Eud. II, 11. 1227 b 32: *τῆς μὲν οὖν νοήσεως ἀρχὴ τὸ τέλος, τῆς δὲ πράξεως ἡ τῆς νοήσεως τελευτή.*

[6]) Met. Z, 7. 1032 b 11: *ὥστε συμβαίνει τρόπον τινὰ ἐξ ὑγιείας τὴν*

Eadem autem ratio etiam in rerum natura obtinet[1]). Itaque domus si esset eorum quae natura gignuntur, eadem prorsus atque nunc per artem ratione oreretur[2]). Exemplum autem e natura petitum, quo illum cogitationis regressum atque progressum ortus demonstraret, philosophus non proposuit. Cuius rei causa facilis est intellectu. In naturalibus enim rebus unde forma operari incipiat, hodieque ignoramus. Quod autem philosophus, ut rationem ortus, quae in rerum natura obtineat, demonstret, iterum iterumque provocat ad artem hominumque actiones, ei aliud quid praeterea videtur subesse. Etenim nos ipsi nisi fines nobis proponere et persequi possemus, ne in rebus naturalibus quidem causam finalem cognosceremus[3]), id quod philosophi menti videtur esse obversatum, etsi diserte nusquam dixit. Attamen in naturalibus quoque rebus substantiam et formam primum esse atque constituere oriundi rationem, manifesta res docet. Nam homo hominem procreat et plantam planta. Oritur quidem planta e semine pariterque homo, sed semen ipsum profectum erat e planta iam perfecta et absoluta, quo fit, ut in semine plantae forma insit, ita ut lex sit ac norma qua nascendi et crescendi ratio definitur[4]). Unde iam apparere putamus, cur philosophus formam materia carentem vocet *τὸ τί ἦν εἶναι*[5]). Nam forma erat ante rem concretam et eam constituit[6]).

ὑγίειαν γίνεσθαι καὶ τὴν οἰκίαν ἐξ οἰκίας, τῆς ἄνευ ὕλης τὴν ἔχουσαν ὕλην. ἡ γὰρ ἰατρική ἐστι καὶ οἰκοδομικὴ τὸ εἶδος τῆς ὑγιείας καὶ τῆς οἰκίας. De part. an. I, 1. 640 a 31.

[1]) De part. an. I, 1. 640 b 1: *ἐπεὶ δ' ἔστι τοιοῦτον, τὴν γένεσιν ὡδὶ καὶ τοιαύτην συμβαίνειν ἀναγκαῖον. διὸ γίνεται πρῶτον τῶν μορίων τόδε, εἶτα τόδε καὶ τοῦτον δὴ τὸν τρόπον ὁμοίως ἐπὶ πάντων τῶν φύσει συνισταμένων.*

[2]) Phys. II, 8. 199 a 12.

[3]) Trendelenb. Log. Unters. II, p. 69.

[4]) De part. an. I, 1. 640 a 25: *γεννᾷ γὰρ ὁ ἄνθρωπος ἄνθρωπον, ὥστε διὰ τὸ ἐκεῖνον τοιόνδ' εἶναι ἡ γένεσις τοιάδε συμβαίνει τῳδί.*

[5]) Met. Z, 7. 1032 b 14: *λέγω δ' οὐσίαν ἄνευ ὕλης τὸ τί ἦν εἶναι.*

[6]) De part. an. I, 1. 640 a 33: *διὸ μάλιστα μὲν λεκτέον ὡς ἐπειδὴ τοῦτ' ἦν τὸ ἀνθρώπῳ εἶναι, διὰ τοῦτο ταῦτ' ἔχει.* Cf. de hac formula Trendelenb. Rhein. Mus. 1828. IV, p. 457 sqq., de anim. libr. comment.

Ut autem forma rem concretam procreare possit, ei opus est vi. Atque hominis quidem menti patet praesto esse vim, qua notiones suae ut re exsistant efficiat, et cogitatio perficienda ipsa Aristoteli vis est, quae corporis motionem excitet ac dirigat[1]). Pariter autem naturalium quoque rerum formis vis addenda est. Ea enim si caret forma quae adhuc potentia est, veluti ea quae semine continetur, ad actum pervenire nequit, neque magis, ubi iam perfecta est, potest opere suo fungi; denique ad id quoque requiritur vis, ut alias sui generis procreet. Iam per se duo cogitari possunt. Aut enim forma vi qua moveat utitur a se diversa, aut ipsa est principium movendi. Quorum prius si statuimus, in dualismum incurrimus neque causae finali plenum absolutumque imperium possumus concedere. Quare forma ipsa sit principium motionis necesse est. Neque id Aristoteles non statuit. Itaque ex quattuor quas posuerat causis tres in unam redeunt[2]). Id quod luculenter apparet ex loco qui est de anim. II, 4. 415 b 7 seqq., ubi Aristoteles tres modos, quibus causa et principium sit anima, profert. Primum enim animam animalis esse causam,

---

p. 192 sqq. Hist. Beitr. II, p. 35 – 42. Aliter Struempell: Gesch. d. theoret. Philos. d. Gr. I, p. 241: „Der Verfasser findet also den Grund der Entstehung dieses Ausdrucks (*τί ἦν εἶναι*) in dem Unterschiede der Bedeutung des Seins nach der ersten und nach den übrigen Kategorien. Das Sein des nach den übrigen Kategorien Ausgesagten hängt davon ab, dass das Sein eines nach der ersten Kategorie Ausgesagten vorhergeht."

[1]) De an. III, 10. 433 a 27: *διὸ ἀεὶ κινεῖ μὲν τὸ ὀρεκτόν, ἀλλὰ τοῦτ' ἐστὶν ἢ τὸ ἀγαθὸν ἢ τὸ φαινόμενον ἀγαθόν. οὐ πᾶν δέ, ἀλλὰ τὸ πρακτὸν ἀγαθόν*. 433 b 10: *εἴδει μὲν ἓν ἂν εἴη τὸ κινοῦν τὸ ὀρεκτικόν, ᾗ ὀρεκτικόν, πρῶτον δὲ πάντων τὸ ὀρεκτόν (τοῦτο γὰρ κινεῖ οὐ κινούμενον τῷ νοηθῆναι ἢ φαντασθῆναι)*.

[2]) Phys. II, 7. 198 a 24: *ἔρχεται δὲ τὰ τρία εἰς ἓν* (*εἰς τὸ ἓν* Bekk., *εἰς ἓν* Bonitz. Sitzungsber. d. kaiserl. Academ. d. Wissensch. Philos.-Histor. Class. XXXIX. Bd. II. Hft. Jahrg. 1862. Febr. Aristotel. Stud. p. 222) *πολλάκις· τὸ μὲν γὰρ τί ἐστι καὶ τὸ οὗ ἕνεκα ἕν ἐστι, τὸ δ' ὅθεν ἡ κίνησις πρῶτον τῷ εἴδει ταὐτὸ τούτοις· ἄνθρωπος γὰρ ἄνθρωπον γεννᾷ*. De part. an. I, 1. 641 a 25: *τῆς φύσεως διχῶς λεγομένης καὶ οὔσης τῆς μὲν ὡς ὕλης τῆς δ' ὡς οὐσίας. καὶ ἔστιν αὕτη καὶ ὡς ἡ κινοῦσα καὶ ὡς τὸ τέλος*. Cf. Zeller, Phil. d. Gr. II, 2. p. 247.

cum sit substantia eius, deinde cum sit eius finis, denique cum sit id unde motus exoriatur.

Id autem quod forma movet est materia. Omnino formae, certe rerum quae ortui et interitui sunt obnoxiae, requirunt materiam neque possunt ea carere. Nam materia est substratum, in quo formae et oriuntur et pereunt[1]). Quam quattuor causarum inter se necessitudinem ut accuratius cognoscamus, satis esse nobis videtur proferre ea quae ab Aristotele Met. Z, 7 disputantur. Versu enim 1032 a 13 Stagirites in quovis procreationis genere ait tria esse distinguenda: id ex quo quid fiat, *τὸ ἐξ οὗ*, id a quo quid fiat, *τὸ ὑφ᾽ οὗ*, atque id quod quid fiat, *τὸ τί*.

Ac primum quidem naturalem generationem considerare liceat. Videmus autem, ut quid possit oriri, opus esse duobus: eo ex quo, *τῷ ἐξ οὗ*, et eo a quo, *τῷ ὑφ᾽ οὗ*. Quorum priore cum significetur materia, eo a quo fit id quod oritur tres reliquae praeter materiam causae contineantur necesse est. Ac primum quidem in eo inest causa formalis. Nam homo hominem procreat et plantam planta, atque omnino unumquidque gignit tale quale est ipsum[2]). Deinde inest causa finalis. Gignere enim non potest natura, nisi quae iam perfecta atque absoluta sit, is autem status etiam ei quod generatur est assequendus[3]). Denique eadem natura id est unde motus exoritur. Nam semen quod inde proficiscitur atque in quo potentia forma inest, h. e. in quo ita inest, ut oriundi et crescendi sit lex ac norma, movet materiam, veluti in pro-

---

[1]) De gen. et corrupt. I, 10. 328 b 10: *θάτερον μὲν δεκτικὸν θάτερον δ᾽ εἶδος.* I, 4. 320 a 2: *ἔστι δὲ ὕλη μάλιστα μὲν καὶ κυρίως τὸ ὑποκείμενον γενέσεως καὶ φθορᾶς δεκτικόν.* Met. Z, 7. 1032 a 20: *ἅπαντα δὲ τὰ γιγνόμενα ἢ φύσει ἢ τέχνῃ ἔχει ὕλην.* H, 1. 1042 a 25: *αἱ δ᾽ αἰσθηταὶ οὐσίαι πᾶσαι ὕλην ἔχουσιν.*

[2]) De anim. II, 4. 415 a 26: *φυσικώτατον γὰρ τῶν ἔργων τοῖς ζῶσιν, ὅσα τέλεια καὶ μὴ πηρώματα, ἢ τὴν γένεσιν αὐτομάτην ἔχει, τὸ ποιῆσαι ἕτερον οἷον αὐτό, ζῷον μὲν ζῷον, φυτὸν δὲ φυτόν.*

[3]) Polit. I, 2. 1252 b 31: *τέλος γὰρ αὕτη ἐκείνων, ἡ δὲ φύσις τέλος ἐστίν· οἷον γὰρ ἕκαστόν ἐστι τῆς γενέσεως τελεσθείσης, ταύτην φαμὲν τὴν φύσιν εἶναι ἑκάστου.*

creandis animalibus menstrua movet ex iisque animal progignit[1]).

Neque aliter res se habet in effectionibus artis. In iis enim principium est rei forma ac species mente concepta. A notione autem rei artifex cogitando regreditur, donec pervenit ad id quod ipse potest efficere. Inde autem agere et operari incipit, donec re exsistit id unde cogitatio erat exorsa. Quam contrariam quae inter cogitationem et effectionem intercedit rationem Aristoteles demonstrat proposito exemplo medici, qui hominem aegrotantem reddere vult sanum. Sanitas igitur ei finis est propositus. Ad eam autem efficiendam restituenda est iusta corporis temperies. Quae cum tale quid sit, efficietur, si corpori redditus fuerit calor. Quem efficere iam penes ipsum est; atque efficit eum frictione. Calor autem qui ea in corpore exsistit aut pars est sanitatis aut sequitur eum aliquid quod pars sanitatis est, idque aut statim aut post complures commutationis gradus[2]). Hoc extremum autem, h. e. calor qui frictione exsistit, est id quod efficit sanitatem, et id quod ita se habet, ut sanitatem efficiat, pars sanitatis est[3]). Sic tres habemus causas coniunctas ita, ut sint una. Principium enim actionis erat sanitas. Haec primum est causa formalis, sed eadem est causa finalis, cum eam restituere medico sit propositum, atque excitat motionem, qua ut ipsa re exsistat opus est[4]). Videmus igitur, quemadmodum in generationibus naturalibus, ita etiam in artificiosis effectionibus tres causas redire in unam. Sed pariter atque in rebus

---

[1]) Met. H, 4. 1044 a 34: *οἷον ἀνθρώπου τίς αἰτία ὡς ὕλη; ἆρα τὰ καταμήνια; τί δ' ὡς κινοῦν; ἆρα τὸ σπέρμα;* Λ, 6. 1071 b 29: *οὐ γὰρ ἥ γε ὕλη κινήσει αὐτὴ ἑαυτήν, ἀλλὰ τεκτονική, οὐδὲ τὰ ἐπιμήνια οὐδ' ἡ γῆ, ἀλλὰ τὰ σπέρματα καὶ ἡ γονή.*

[2]) Met. Z, 7. 1032 b 28: *ἢ διὰ πλειόνων*, cf. Alexandr. Aphrodis. Schol. in Aristot. coll. Brandis. p. 750 b 1 sqq. Bonitz. comment. p. 323, qui illum in interpretatione huius loci secutus est.

[3]) L. l. b 28: *τοῦτο δ' ἔσχατον τὸ ποιοῦν, καὶ τὸ οὕτως μέρος ἐστὶ τῆς ὑγιείας.*

[4]) 1032 b 21: *τὸ δὴ ποιοῦν καὶ ὅθεν ἄρχεται ἡ κίνησις τοῦ ὑγιαίνειν, ἐὰν μὲν ἀπὸ τέχνης, τὸ εἶδός ἐστι τὸ ἐν τῇ ψυχῇ.*

naturae praeter has tres causas requirebatur materia, hic quoque opus est substrato. Quam ob rem Aristoteles pergit in hunc modum: *τοῦτο δ' ἔσχατον τὸ ποιοῦν, καὶ τὸ οὕτως μέρος ἐστὶ τῆς ὑγιείας καὶ τῆς οἰκίας, οἷον οἱ λίθοι, καὶ τῶν ἄλλων. ὥστε καθάπερ λέγεται, ἀδύνατον γενέσθαι εἰ μηθὲν προϋπάρχοι· ὅτι μὲν οὖν τι μέρος ἐξ ἀνάγκης ὑπάρξει, φανερόν· ἡ γὰρ ὕλη μέρος· ἐνυπάρχει γὰρ καὶ γίγνεται αὕτη.* Ex quibus apparet in artis effectionibus semper requiri substratum, quod ante actionem et ortum suppetat; verba autem sana non sunt[1]).

Ut paucis complectamur quae proxime disputata sunt, vidimus ex quattuor quas Aristoteles ponit causis tres in unam quasi coire atque hanc, ut exstare possit, requirere materiam. Itaque iam progrediendum nobis est ad materiae naturam, qualem Aristoteles constituerit, considerandam. Ac primum quidem philosophus materiam nec ortam esse nec posse interire statuit. Quod comprobare studet argumentatione fere hac: „Quatenus," ait Phys. I, 9. 192 a 25seqq., „materia est id in quo, *τὸ ἐν ᾧ*, scil. forma esse potest, h. e. quatenus est privatio (*τὸ ἐν ᾧ* formula quid sibi velit, intellegitur collata locutione *τόδε ἐν τῷδε*), per se interit. Id enim quod in ea perit est privatio (quae antea erat eius conditio, ubi nihil erat nisi *τὸ ἐν ᾧ*); contra quatenus est secundum potentiam, *κατὰ τὴν δύναμιν*, h. e. quatenus est potentia ex qua res oriuntur, per se non perit, sed neque corrumpatur nec unquam orta sit necesse est. Sive enim orta est, suppeditare quid necesse erat prius ex quo substrato oreretur, *τὸ ἐξ οὗ ἐνυπάρχοντος*, cf. Trendelenburg. Histor. Beitr. I, p. 110 not. 3. Haec autem materiae ipsius est natura, scil. ut substratum sit ex quo res oriuntur, 192 a 30: *τοῦτο δ' ἐστὶν αὐτῆς ἡ φύσις*, cf. Bonitz. Aristot. Stud. p. 192, *τοῦτο δ' ἐστὶν αὐτὴ ἡ φύσις*, Bekker. Itaque ortam esse materiam si statueremus, fuisset priusquam orta esset. Nam materia est id quod est primum cuique rei substratum, ex quo haec oritur, cum ipsum subsit non per acci-

---

[1]) Cf. excurs. I.

dens. (Quam ob rem orta si esset materia, ex materia fieret necesse erat). Sive perit, in semet ipsam extremo deveniet, a 33 *εἰς τοῦτο*, intell. *εἰς τὴν ὕλην* [1]). Itaque periisset priusquam periret.“

Quam argumentationem non difficile est visu niti sententia, ex nihilo nihil fieri neque quidquam in nihilum dissolvi posse [2]). Itaque ex Aristotelis mente omnis ortus est compositio materiae et formae, omnis interitus disiunctio [3]). Quam sententiam si retinemus atque eandem quam Aristoteles materiae tribuimus naturam, profecto ea oriri non potest nisi ex materia neque in aliud quid periens dissolvi nisi in materiam, ita ut fuisset priusquam orta esset et priusquam interiret interiisset.

Haec autem materia per se omni forma et qualitate caret [4]). Quae enim tribuuntur materiae qualitates, eae re quidem cum materia in unum coalescunt, contra notione materia ab iis

---

[1]) Alia atque nos ratione haec verba interpretatus est Prantlius: „Und verginge er, so würde er auf das als äusserstes kommen, dass er vergangen sein müsste, ehe er verginge.“ Hoc esset: materia si periret, extremus eius status esset discrepantia logica. At nos quidem in discrepantiam logicam, si tale quid statuamus, incurrere dici possumus, materia non item. Fraudi Prantlio videtur fuisse liberior generis neutrius (*εἰς τοῦτο*) usus, de quo cf. Bonitz. Met. comment. p. 157. Fritzsch. Arist. de amicit. p. 34. Waitz. Organ. I, p. 291. Zell. Eth. Nic. comment. p. 22.

[2]) Met. B, 4. 999 b 5: *ἀλλὰ μὴν εἴ γε ἀΐδιον οὐθέν ἐστιν, οὐδὲ γένεσιν εἶναι δυνατόν· ἀνάγκη γὰρ εἶναί τι τὸ γιγνόμενον καὶ ἐξ οὗ γίγνεται καὶ τούτων τὸ ἔσχατον ἀγέννητον, εἴπερ ἵσταταί τε καὶ ἐκ μὴ ὄντος γίγνεσθαι ἀδύνατον.*

[3]) Met. Z, 8. 1033 b 12: *δεήσει γὰρ διαιρετὸν εἶναι ἀεὶ τὸ γιγνόμενον, καὶ εἶναι τὸ μὲν τόδε τὸ δὲ τόδε, λέγω δ' ὅτι τὸ μὲν ὕλην τὸ δ' εἶδος.* b 16: *φανερὸν δὴ ἐκ τῶν εἰρημένων ὅτι τὸ μὲν ὡς εἶδος ἢ οὐσία λεγόμενον οὐ γίγνεται, ἡ δὲ σύνοδος ἡ κατὰ ταύτην λεγομένη γίγνεται, καὶ ὅτι ἐν παντὶ τῷ γενομένῳ ὕλη ἔνεστι, καὶ ἔστι τὸ μέν τόδε τὸ δὲ τόδε.*

[4]) Met. Z, 3. 1029 a 24: *ὥστε τὸ ἔσχατον καθ' αὑτὸ οὔτε τὶ οὔτε ποσὸν οὔτε ἄλλο οὐθέν ἐστιν.* Z, 10. 1036 a 8: *ἡ δ' ὕλη ἄγνωστος καθ' αὑτήν.* Z, 11. 1037 a 27: *μετὰ μὲν γὰρ τῆς ὕλης οὐκ ἔστιν* scil. *λόγος* (*ἀόριστον γάρ*). Phys. III, 6. 207 a 25: *διὸ καὶ ἄγνωστον ᾗ ἄπειρον· εἶδος γὰρ οὐκ ἔχει ἡ ὕλη.*

differt[1]). Itaque ne vi quidem praedita est, ita ut operari nullo modo possit, sed tantum patiatur[2]). Quo id quoque efficitur, ut maxime idonea sit, quae formetur ac fingatur. Itaque hac quidem ex parte Aristotelis materia prorsus respondet substrato, quale Plato describit in Timaeo dialogo; id quod Aristoteles ipse vidit[3]). Necesse autem esse materia per se careat forma et qualitate Plato explicare et demonstrare studet similitudine usus admodum idonea[4]). Reputandum esse ait, si effigies futura sit omni distincta varietate ad adspectum, non aliter sane id ipsum in quo exprimenda sit bene praeparatum fore, nisi vacuum sit a formis illis omnibus quas sit suscepturum. Nam simile si esset cui ex iis quae recipienda sint, si alia contrariae atque diversae naturae accessissent, ea accepta male redditurum fore, cum sua ipsius species interluceret. Quam ob causam substratum illud neque conspici potest et caret forma, *ἀνόρατον εἶδος καὶ ἄμορφον*[5]). Quod autem conspici nequit, id efficitur eo quod forma et

---

[1]) Met. Z, 3. 1029 a 21: *ἔστι γάρ τι καθ' οὗ κατηγορεῖται τούτων ἕκαστον, ᾧ τὸ εἶναι ἕτερον καὶ τῶν κατηγοριῶν ἑκάστῃ.*

[2]) De gen. et corrupt. II, 9. 335 b 29: *τῆς μὲν γὰρ ὕλης τὸ πάσχειν ἐστὶ καὶ τὸ κινεῖσθαι, τὸ δὲ κινεῖν καὶ ποιεῖν ἑτέρας δυνάμεως.* I, 7. 324 b 18: *ἡ δ' ὕλη ᾗ ὕλη παθητικόν.*

[3]) De caelo III, 8. 306 b 17: *ἀειδὲς καὶ ἄμορφον δεῖ τὸ ὑποκείμενον εἶναι· μάλιστα γὰρ ἂν οὕτω δύναιτο ῥυθμίζεσθαι, καθάπερ ἐν τῷ Τιμαίῳ γέγραπται, τὸ πανδεχές.* Plat. Tim. p. 51 A: *ταὐτὸν οὖν καὶ τῷ τὰ τῶν πάντων ἀεί τε ὄντων* (fortasse scribendum est: *τὰ τῶν πάντων ὄντως ἀεί τε ὄντων*) *κατὰ πᾶν ἑαυτοῦ πολλάκις ἀφομοιώματα καλῶς μέλλοντι δέχεσθαι πάντων ἐκτὸς αὐτῷ προσήκει πεφυκέναι τῶν εἰδῶν. διὸ δὴ τὴν τοῦ γεγονότος ὁρατοῦ καὶ πάντως αἰσθητοῦ μητέρα καὶ ὑποδοχὴν μήτε γῆν μήτε ἀέρα μήτε πῦρ μήτε ὕδωρ λέγωμεν, μήτε ὅσα ἐκ τούτων μήτε ἐξ ὧν ταῦτα γέγονεν· ἀλλ' ἀνόρατον εἶδός τι καὶ ἄμορφον, πανδεχές ... λέγοντες οὐ ψευσόμεθα.*

Nos *ὄντως* ante *ἀεί τε ὄντων* excidisse putamus. Certe *τῶν πάντων ἀεί τε ὄντων*, quae leguntur in libris manu scriptis, ferri nequeunt, cum *τὰ ἀεὶ ὄντα* sint ideae, ita ut *τὰ πάντα ἀεί τε ὄντα* essent: omnes et ideae. Idem iam Stallbaumius vidit, alia autem atque nos ratione difficultatem removere studuit. Irrepsisse enim errore putat *τε* particulam.

[4]) Tim. p. 50 D.

[5]) Tim. p. 51 A.

qualitate prorsus destitutum est, neque cerni potest nisi quod aliqua forma et qualitate est praeditum. Non enim putamus quemquam facturum esse cum Stallbaumio, qui materiam apud Platonem opinatur adeo tenuem esse subtilemque, ut oculorum adspectum prorsus fugiat nec possit ullo modo cerni ac diiudicari [1]). Sed iam revertamur ad Aristotelem atque inquiramus, quae ei ratio inter formam et materiam intercedere videatur. Exponit autem eam Phys. I, 9. 192 a 16 seqq., ubi „Cum divinum quid sit," ait, „et bonum atque appetendum (intell. formam), unum oppositum ei esse dicimus (intell. privationem), alterum autem quod per naturam suam illud (intell. formam) appetat et studeat assequi. Contra illis (intell. maxime Platonem et qui eum sequuntur) accidit, ut id quod oppositum est suum ipsius interitum appetat. Attamen neque ipsa se appetere potest forma, cum nihilo careat, neque id quod ei est oppositum (scil. formam appetere potest). Nam corrumpunt inter se quae sunt contraria. (Quocirca privatio, si formam appeteret, ad suum ipsius interitum tenderet). Sed hoc est materia (intell. id quod appetit formam), veluti si femina marem appetit et turpe pulchrum. 192 a 22: *ἀλλὰ τοῦτ᾽ ἔστιν ἡ ὕλη, ὥσπερ ἂν εἰ θῆλυ ἄρρενος καὶ αἰσχρὸν καλοῦ* [2])."

Quem locum ad verbum si intellegimus, magnae oriuntur difficultates atque, ne tota ratio Aristotelea vacillet et clau-

---

[1]) Parmenid. Prolegg. libr. I. sect. I. p. 135.

[2]) Aliam sententiam loco de quo agimus Prantlius subicit: „Aber eben dies ist ja gerade das Wesen des Stoffes, etwa wie wenn das Weibliche Stoff des Männlichen und das Hässliche Stoff des Schönen wäre." Quae sententia tam mira esse nobis videtur, ut vix audeamus imputare eam Aristoteli. Accedit quod tota qua hic philosopus utitur argumentatio nititur appetendi notione, quod iam Chalcidius intellexit. Cf. Chalcidii Timaeus de Platonis translatus ed. Meurs. p. 386: „Tres ab eo origines universae rei (statuuntur): species, sylva, carentia. Speciem laudat, ut summi dei similem divinitatem, pleno perfectoque nixam bono ideoque appetibilem Quid est ergo, quod appetit? Neque ipsa se, inquit, quia nihil ei deest ad perfectam exornationem et est proprius indigentium appetitus. Nec vero carentia; interitum enim suum cuperet. Quippe accessu speciei formaeque tollitur indigentia nec in habitu proprio perseverat. Superest ergo, ut sylva cultum ornatumque desideret."

dicet, maximo opere est verendum. Primum enim nimium positum esset in materia, cum si non appeteret materia, nihil omnino posset exsistere. Tenendum autem est creatam a deo hanc materiam non esse, sed esse aeternam pariter atque deum ipsum. Creata enim si esset, offensionis ille appetitus haberet nihil. Nam indere deus poterat materiae illam appetendi vim. Itaque aeternam esse materiam cum Aristoteles statuat, appetendi verbum si premimus, habemus harmoniam inter formam et materiam praestabilitam, quae autem non a deo effecta sit, sed exstet casu. Prima igitur omnium causarum esset casus, quod quantum a ratione Aristotelea abhorreat, vix dicto opus est[1]). Sed accedit aliud quid. Appetere enim non potest nisi quod habet in se principium movendi, quo materia per se, si sequeris Aristotelem, prorsus caret. Itaque alia ratione locus de quo agimus interpretandus est. Ac nobis quidem inesse videtur sententia haec: Necesse est aut forma ad materiam aut materia ad formam se accommodet atque conformet. Sed forma quidem ad materiam accommodari nequit, quippe quae hac sit melior et praestantior, itaque necesse est materia accommodetur formae, cum ea per se omni forma careat. Conformat autem materia se ad illam, cum eius naturam appetat. Attamen is appetitus per formam ipsam excitatur, a qua motus quo, ut materia appetere possit, opus est exoritur. Putamus enim apparere, subesse his doctrinam Aristoteleam, nihil ipsum se movere posse, sed quidquid moveatur aliud quod moveat requirere. Quo fit, ut id quod ultimum movet ipsum sit immotum. Itaque id quod ab eo movetur illud appetit, sed appetitus ipse et motus qui in eo cernitur excitatur ab eo quod movet. Atque tali modo forma movet materiam[2]).

Videmus igitur quattuor quas Aristoteles Met. A. 3 posuit

---

[1]) Phys. II, 6. ex.

[2]) Phys. II, 7. 198 a 35: *διτταὶ δὲ αἱ ἀρχαὶ αἱ κινοῦσαι φυσικῶς, ὧν ἡ ἑτέρα οὐ φυσική· οὐ γὰρ ἔχει κινήσεως ἀρχὴν ἐν αὑτῇ. τοιοῦτον δ' ἐστὶν εἴ τι κινεῖ μὴ κινούμενον, ὥσπερ τό τε παντελῶς ἀκίνητον καὶ τὸ πάντων πρῶτον καὶ τὸ τί ἐστι καὶ ἡ μορφή.*

causas ad duas redire: ad causam finalem et causam materialem, quas philosophus, etsi alteram ex altera ducere non potuit, tamen artissime inter se coniunxit. Causa finalis enim, ut ad vim naturamque suam perveniat, eget materia atque haec promptam paratamque ad formandum illi se praebet. Sed hoc mirari quis possit, cum materia originem e causa finali non duxerit, quo fiat, ut fini tam facilem morigeramque se praestet. Cui quaestioni ex Aristotelea quidem ratione facile est responsu. Cum enim omne movendi principium situm sit in causa finali, materia resistere nullo modo potest. Nam ad resistendum opus est vi, quae sine motu esse nequit. Atque ob eandem causam destituta est omni forma. Motus enim est qui format ac fingit. Apparet autem talem materiam per se nunquam exstare potuisse[1]). Sed hanc difficultatem Aristoteles removit eo quod mundum voluit esse aeternum[2]). Quod nobis intellegendum esse videtur in modum eum, ut ortus quidem sit mundus, sed ab omni aeternitate, non certo aliquo temporis momento. Nam deus est aeternus, quocirca etiam mundus ex aeterno tempore effectus sit necesse est, cum intellegi nequeat, cur deus aeternus non statim ab initio, hoc est ab omni aeternitate, mundi creandi consi-

---

[1]) Phys. IV, 7. 214 a 14: *ἡ μὲν γὰρ ὕλη οὐ χωριστὴ τῶν πραγμάτων.* IV, 9. 217 a 21: *ἡμεῖς δὲ λέγομεν ἐκ τῶν ὑποκειμένων ὅτι ἐστὶν ὕλη μία τῶν ἐναντίων, θερμοῦ καὶ ψυχροῦ καὶ τῶν ἄλλων τῶν φυσικῶν ἐναντιώσεων, καὶ ἐκ δυνάμει ὄντος ἐνεργείᾳ ὂν γίνεται, καὶ οὐ χωριστὴ μὲν ἡ ὕλη, τῷ δ' εἶναι ἕτερον.* Chalcid. Tim. p. 410 ed. Meurs: „Etiam hoc communiter ab omnibus pronunciatur, sylvam sine qualitate esse ac sine figura et sine specie; non quod sine his unquam esse possit, sed quod haec ex propria natura non habeat nec possideat potius quam comitetur species et qualitates."

[2]) De caelo I, 10 sqq. Cic. Academ. pr. 38, 119: „Cum enim tuus iste Stoicus sapiens syllabatim tibi ista dixerit, veniet flumen orationis aureum fundens Aristoteles, qui illum desipere dicat: neque enim ortum esse unquam mundum, quod nulla fuerit novo consilio inito tam praeclari operis inceptio, et ita esse eum undique aptum, ut nulla vis tantos queat motus mutationemque moliri, nulla senectus diuturnitate temporum exsistere, ut hic ornatus unquam dilapsus occidat."

lium inierit et confecerit opus tam praeclarum[1]). Attamen dualismi aliquid restare negari non potest. Neque minus is in doctrina Platonica reperitur. Apud Platonem enim mens regit necessitatem persuadendo[2]). Persuademus autem ei qui suam habet voluntatem atque vim resistendi; neque persuasio fieri potest, nisi alterius naturae rationem habemus eique aliquantum concedimus. Itaque cui persuadeamus necesse est, in eum imperium nostrum non est plenum perfectumque. Valet autem mens tali ratione materiam regere et gubernare, cum ipsa sit prudens, caeca illa. Quod a Platone significari putamus verbis: *δι᾽ ἀνάγκης ἡττωμένης ὑπὸ πειθοῦς ἔμφρονος*, etsi id pro certo affirmare non audemus. Prorsus vero convenit persuadendi verbo quod dicit: „ut plurima ad optimum perducat," non: „omnia". Neque minus cum eo congruit quod Plato iterum iterumque dicit deum mundum, quantum fieri potuerit, optimum effecisse[3]). Itaque vel uno persuadendi vocabulo prohiberi videmur, quominus apud Platonem de idealistica quam vocant materia cogitemus. Qui enim, quaeso, materia id generis vi uti potest resistendi? Neque magis sumere licet materiam Platonem voluisse a deo esse profectam. Cur enim mens necesse esset ei persuaderet?

Sed iam nobis redeundum est ad Aristotelem. Vidimus

---

[1]) Cum universa doctrinae Aristoteleae indole requiratur, ut deus rerum principium sit, velit autem philosophus aeternum esse mundum, facere non possumus, quin ab omni aeternitate eum conditum esse sumamus. Qui autem loci Aristotelei cum hac sententia conciliari posse non videntur, profecti sunt inde quod initium ab omni aeternitate factum menti humanae adversari solet.

[2]) Tim. p. 48A: *μεμιγμένη γὰρ οὖν ἡ τοῦδε τοῦ κόσμου γένεσις ἐξ ἀνάγκης τε καὶ νοῦ συστάσεως ἐγεννήθη. νοῦ δὲ ἀνάγκης ἄρχοντος τῷ πείθειν αὐτὴν τῶν γιγνομένων τὰ πλεῖστα ἐπὶ τὸ βέλτιστον ἄγειν, ταύτῃ κατὰ ταὐτά τε δι᾽ ἀνάγκης ἡττωμένης ὑπὸ πειθοῦς ἔμφρονος οὕτω κατ᾽ ἀρχὰς ξυνίστατο τόδε τὸ πᾶν.*

[3]) Tim. p. 30A: *βουληθεὶς γὰρ ὁ θεὸς ἀγαθὰ μὲν πάντα, φλαῦρον δὲ μηδὲν εἶναι κατὰ δύναμιν, οὕτω δὴ πᾶν, ὅσον ἦν ὁρατόν, παραλαβὼν οὐχ ἡσυχίαν ἄγον, ἀλλὰ κινούμενον πλημμελῶς καὶ ἀτάκτως, εἰς τάξιν αὐτὸ ἤγαγεν ἐκ τῆς ἀταξίας.*

causam finalem requirere materiam. Haec autem per se unitate prorsus caret; itaque causa finalis ut una sit materia efficit; constituit enim formam, qua continetur substrati unitas. Id quod optime cognoscimus e Met. Z, 17, ubi „Si rei causam," ait, „quaerimus, quaerimus cur hoc substrato haec certa insit qualitas, sive cur huic substrato hoc tribuendum sit praedicatum. Sic si quis quaerit, cur haec, *ταδί*, veluti lateres et ligna, sint domus, nihil aliud quaerit nisi, huic materiae, quae per se unitate caret (*ταδί*, animus advertendus est ad pluralem numerum), cur hoc certum praedicatum tribuatur. 1041 b 4: *ἐπεὶ δὲ δεῖ ἔχειν τε καὶ ὑπάρχειν τὸ εἶναι, δῆλον δὴ ὅτι τὴν ὕλην ζητεῖ ταδὶ διὰ τί ἐστιν* [1]).

Causam igitur quaerit, quae ut materia certum ac definitum quid sit efficiat. Haec autem est *τὸ τί ἦν εἶναι*, si universe notionem spectamus, a 28: *τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ τί ἦν εἶναι, ὡς εἰπεῖν λογικῶς* [2]). Veluti haece sunt domus, quia suppeditat id quod erat notio domus, b 5: *οἷον οἰκία ταδὶ διὰ τί; ὅτι ὑπάρχει ταδί, ὃ ἦν οἰκίᾳ εἶναι* [3]). Atque haec materia sive hoc corpus homo est, quod inest id quod erat notio hominis, b 6: *καὶ ἄνθρωπος τοδί, ἢ τὸ σῶμα τοῦτο τοδὶ ἔχον* [4]).

---

[1]) Vocabulum *ταδί* ante *διὰ τί ἐστιν* de coniectura addidit Bonitzius, cf. Observat. crit. p. 99. Sed si quid video, *τοδί*, non *ταδί* erat addendum. Nam sententia est haec: quaerit, materia cur hoc certum ac definitum sit. Materia quidem est *ταδί*, cum per se unitate careat, contra praedicatum est unum, quam ob causam numero significandum est singulari, cf. 1041 a 26: *καὶ διὰ τί ταδί, οἷον πλίνθοι καὶ λίθοι, οἰκία ἐστίν;* b 2: *ἀλλὰ μὴ διορίζειν ὅτι τάδε* (intelleg. materiam) *τόδε* (intelleg. praedicatum sive substantiam). b 5: *οἷον οἰκία ταδὶ διὰ τί;* h. e. cur haec materia est domus?

[2]) Cf. Trendelenb. Hist. Beitr. I, p. 41. Met. Z, 17. 1041 b 7: *ὥστε τὸ αἴτιον ζητεῖται τῆς ὕλης· τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ εἶδος ᾧ τί ἐστιν· τοῦτο δ' ἡ οὐσία.*

[3]) Hic sane, quin scribatur *τοδί*, fieri omnino non potest, cum sententia sit haec: quia inest id quod erat forma et notio domus.

[4]) Scribendum esse nobis videtur: *καὶ ἄνθρωπος ταδί* „et haec materia, *ταδί*, homo est," scil. *ὅτι ὑπάρχει τοδί, ὃ ἦν τὸ ἀνθρώπῳ εἶναι.* Saepius quidem in hoc metaphysicorum capite mutavimus. Sed in tali sententiarum cohaerentia prorsus necesse esse putamus, materiam significari plurali numero (*ταδί*), singulari (*τοδί*) formam et substantiam. Facillime autem libra-

Si quid enim compositum est, ut unum sit, non tamen acervi, sed syllabae instar, quaeritur, quid sit quod ut elementa singula rem constituant unam efficiat. Elementum id esse non potest neque ex elementis compositum. Nam elementum si id esset, rursus opus esset alio quo quod hoc cum reliquis in unum coniungeret conciliaretque, quod cum semper denuo requireretur, res progrederetur in infinitum, cf. b 21: *ἐκ τούτου γὰρ καὶ πυρὸς καὶ γῆς ἔσται ἡ σάρξ καὶ ἔτι ἄλλου, ὥστ' εἰς ἄπειρον βαδιεῖται.* Contra ex elementis si constaret, rediret quaestio quae in carne et syllaba consideranda occurrebat: quid horum elementorum unitatem constituat. Itaque elementum id esse nequit, sed est uniuscuiusque rei substantia. Haec enim prima rei causa est. Iam cum nonnullae rerum substantiae non sint, quotcunque autem substantiae sunt, secundum naturam et natura constiterint, natura ipsa substantia est, quae non elementum est, sed principium, b 28: *ἐπεὶ δ' ἔνια οὐκ οὐσίαι τῶν πραγμάτων, ἀλλ' ὅσαι οὐσίαι κατὰ φύσιν καὶ φύσει συνεστήκασι, φανείη ἂν καὶ αὕτη ἡ φύσις οὐσία* (nobis scribendum videtur: *καὶ αὐτὴ ἡ φύσις*), *ἥ ἐστιν οὐ στοιχεῖον ἀλλ' ἀρχή* [1])." Sic animalium substantia est anima [2]). Anima vero etiam unitatem animalis efficit [3]).

---

rios haec potuisse inter se confundere apparet. Cuius generis error nostra quidem sententia reperitur etiam Phys. II, 9. 200 b 1: *ἐπεὶ ἡ οἰκία τοιόνδε, τάδε δεῖ γίγνεσθαι καὶ ὑπάρχειν ἐξ ἀνάγκης, καὶ ἐπεὶ ἡ ὑγίεια τοδί, τάδε δεῖ γίγνεσθαι ἐξ ἀνάγκης καὶ ὑπάρχειν. οὕτως καὶ εἰ ἄνθρωπος τοδί, ταδί· εἰ δὲ ταδί, ταδί.* Existimamus enim scribendum esse: *εἰ δὲ τοδί, ταδί.*

[1]) Primariam enim si spectas *οὐσίας* significationem, rerum sensibilium substantiae non sunt nisi naturales, cf. de anim. II, 1. 412 a 11: *οὐσίαι δὲ μάλιστ' εἶναι δοκοῦσι τὰ σώματα, καὶ τούτων τὰ φυσικά· ταῦτα γὰρ τῶν ἄλλων ἀρχαί.* Tamen offendendum est in eo quod substantias esse praeter res naturales negatur. Itaque proponere audemus haec: *ἐπεὶ δ' ἔνια οὐκ οὐσίαι τῶν πραγμάτων, ἀλλ' οὐσίαι, ὅσα κατὰ φύσιν καὶ φύσει συνεστήκασι, φανείη ἂν καὶ αὐτὴ ἡ φύσις οὐσία.*

[2]) Met. Z, 10. 1035 b 14: *ἐπεὶ δὲ ἡ τῶν ζῴων ψυχή (τοῦτο γὰρ οὐσία τοῦ ἐμψύχου) ἡ κατὰ τὸν λόγον οὐσία καὶ τὸ εἶδος καὶ τὸ τί ἦν εἶναι τῷ τοιῷδε σώματι* et quae sequ. De anim. II, 1. 412 a 19: *ἀναγκαῖον ἄρα τὴν ψυχὴν οὐσίαν εἶναι ὡς εἶδος σώματος φυσικοῦ δυνάμει ζωὴν ἔχοντος.*

[3]) De anim. II, 4. 416 a 6: *πρὸς δὲ τούτοις τί τὸ συνέχον εἰς τἀναντία*

Postquam quae ratio quattuor causis Aristoteleis inter se intercedat exposuimus, ad initium disputationis nobis redeundum est. Dixerat Aristoteles unumquidque natura creari, ut opere quo fungatur. Non autem coacervare natura amat compluria opera in rem unam, sed suum cuique operi, ubi fieri potest, suppeditat instrumentum. Minime enim natura solet facere tale quid, qualem fabri gladium Delphicum [1]) aut lanceam quae eadem sit lychnuchus [2]). Sed ad duo opera praestanda natura non utitur eadem re, nisi ubi aliter fieri nequit [3]). Quod cum ita se habeat, quin complures res concilientur in unam, ita ut iam exsistant eius partes, fieri omnino nequit. Sic vident oculi, pedes currunt, audiunt aures, sed seiunctae separataeque eae res constare non possunt. Non enim per se pes est neque manus, nisi quod eodem utuntur nomine. Itaque coniungantur necesse est et rem conficiant unam. Quod fieri non potest, nisi pars altera alterius et singulae omnium ratione habita efficiuntur. Atque re vera eo modo natura corpora instituit, veluti animalium oculi et pedes utrique ab anteriore corporis parte collocati sunt, cum summa esset discrepantia, si visus non eadem qua pedes uteretur directione. Necesse enim est praevidere id quo tendat motio [4]).

φερόμενα τὸ πῦρ καὶ τὴν γῆν; διασπασθήσεται γάρ, εἰ μή τι ἔσται τὸ κωλῦσον· εἰ δ' ἔσται, τοῦτ' ἐστὶν ἡ ψυχή.

[1]) Polit. I, 2. 1252 b 1. Göttling. Commentatio de machaera Delphica, quae est apud Aristotelem. Progr. Jenens. a. MDCCCLVI. p. 10: „Fuit igitur machaera Delphica ita fabrefacta, ut cultro ipsi adiunctum esset cochlear ferreum vel tale quid, quo, simulatque ipsa victima mactata cultro esset, extemplo ad culinarium negotium uti possent Delphi."

[2]) De part. an. IV, 6. 683 a 22: *ὅπου γὰρ ἐνδέχεται χρῆσθαι δυσὶν ἐπὶ δύ' ἔργα καὶ μὴ ἐμποδίζειν πρὸς ἕτερον, οὐδὲν ἡ φύσις εἴωθε ποιεῖν ὥσπερ ἡ χαλκευτικὴ πρὸς εὐτέλειαν ὀβελισκολύχνιον.* Göttling. l. l. p. 8.

[3]) In qua sententia non satis sibi constare Aristotelem vere animadvertit Meyer. Aristotel. Thierk. p. 470, cui assentitur Zeller. Philos. d. Gr. II, 2. p. 384.

[4]) De part. an. II, 10. 656 b 26: *τέτακται δὲ τὸν τρόπον τοῦτον τὰ αἰσθητήρια τῇ φύσει καλῶς, τὰ μὲν τῆς ἀκοῆς ἐπὶ μέσης τῆς περιφερείας, ... ἡ δ' ὄψις εἰς τὸ ἔμπροσθεν (ὁρᾷ γὰρ κατ' εὐθυωρίαν, ἡ δὲ κίνησις εἰς τὸ ἔμπροσθεν, προορᾶν δὲ δεῖ ἐφ' ὃ ἡ κίνησις).*

Atque ubi partis natura est ea, ut per se turbaret totum corpus, id ut removeatur, pars addita est qualitatis illi contrariae, qua iusta corporis temperies et aequabilitas restituatur [1]). Sic natura, ut corporis aequabilitas conservaretur, cordi calidiori frigidius opposuit cerebrum [2]). Itaque quamvis res tota e partibus constet, tamen partes earumque natura e totius notione suspensae sunt. Totum quidem sine partibus esse non potest, quam ob causam partes oriuntur, verum quae partes adsciscendae sint, quales sint instituendae in quemque disponendae ordinem, constituit notio totius, ita ut totum partibus sit prius [3]).

Sed alia praeterea partibus ratio inter se intercedat oportet, ut omnium inter se convenientia atque concordia plena sit ac perfecta. Necesse enim est, ut eae quae inferioris sunt ordinis, etsi suam habent naturam suumque finem sequuntur, serviant praestantioribus potioribusque. Quo fit, ut altera pars alteri sit instrumenti instar. Sic animalium totum corpus instrumentum est animae [4]). Cuius sententiae locus est egregius de part. an. IV, 10. 687 a 7—23, ubi Aristoteles disputat contra Anaxagoram, qui hominem esse dixerat animalium sapientissimum, cum haberet manus, quod Stagirites convertit ita; ut homo habeat manus, cum animal sit sapientissi-

---

[1]) L. l. II, 7. 652 a 31: *ἀεὶ γὰρ ἡ φύσις μηχανᾶται πρὸς τὴν ἑκάστου ὑπερβολὴν βοήθειαν τὴν τοῦ ἐναντίου παρεδρίαν, ἵνα ἀνισάζῃ τὴν θατέρου ὑπερβολήν θάτερον.*

[2]) L. l. II, 7. 652 b 16: *ἐπεὶ δ' ἅπαντα δεῖται τῆς ἐναντίας ῥοπῆς, ἵνα τυγχάνῃ τοῦ μετρίου καὶ τοῦ μέσου (τὴν γὰρ οὐσίαν ἔχει τοῦτο καὶ τὸν λόγον, τῶν δ' ἄκρων ἑκάτερον οὐκ ἔχει χωρίς), διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν πρὸς τὸν τῆς καρδίας τόπον καὶ τὴν ἐν αὐτῇ θερμότητα μεμηχάνηται τὸν ἐγκέφαλον ἡ φύσις, καὶ τούτου χάριν ὑπάρχει τοῦτο τὸ μόριον τοῖς ζῴοις, τὴν φύσιν ἔχον κοινὴν ὕδατος καὶ γῆς:*

[3]) L. l. I, 1. 640 a 33: *διὸ μάλιστα μὲν λεκτέον ὡς ἐπειδὴ τοῦτ' ἦν τὸ ἀνθρώπῳ εἶναι, διὰ τοῦτο ταῦτ' ἔχει· οὐ γὰρ ἐνδέχεται εἶναι ἄνευ τῶν μορίων τούτων.* Polit. I, 2. 1253 a 20: *τὸ γὰρ ὅλον πρότερον ἀναγκαῖον εἶναι τοῦ μέρους.*

[4]) De part. an. I, 5. 645 b 14: *ἐπεὶ δὲ τὸ μὲν ὄργανον πᾶν ἕνεκά του, τὸ δ' οὗ ἕνεκα πρᾶξίς τις, φανερὸν ὅτι καὶ τὸ σύνολον σῶμα συνέστηκε πράξεώς τινος ἕνεκα πλήρους.*

mum. Etenim naturam pariter atque hominem prudentem unicuique, quo uti possit, tribuere; nam magis convenire ei qui tibiis canere sciat tibias dare, quam qui tibias habeat, ei concedere artem tibiis canendi. Nam ei quod maius et melius sit naturam tribuere inferiora, minime vero ei quod inferius sit meliora ac praestantiora. „Itaque hac ratione," inquit, „si res se habet melius, natura autem ex iis quae fieri possunt facit id quod optimum est, non propter manus homo est animal sapientissimum, immo sapientissimum cum sit animal, instructus est manibus. Is enim qui sapientissimus est plurimis bene uti potest instrumentis, manum vero non unum sed multa instrumenta esse apparet. Nam tanquam instrumentum ante instrumenta est, a 20: ἔστι γὰρ ὡσπερεὶ ὄργανον πρὸ ὀργάνων. Ei igitur qui plurimas artes tractare scit natura concessit manum, cum sit instrumentum id quod plurima possit efficere."

Sic id quod inferioris est ordinis potiori ac meliori servit. Neque minus id ex anima variisque eius quas Aristoteles ponit facultatibus apparet. Etenim plantarum quidem anima est vegetativum, quod summus earum est finis. In brutis animalibus autem ad vegetativum accedit sensitivum, quod iam eorum est summum atque extremum. Sed ut esse possit, opus est vegetativo. Ultimum igitur quod erat in plantis atque extremum, iam est instrumenti instar. Quam ob causam vegetativum carere potest sensitivo, hoc tamen illo minus. In hominibus denique ad has duas partes (partes dicimus quae Aristoteles *μόρια* vocat, ita tamen ut in voce Latina eandem quam Aristoteles verbo Graeco subiecit notionem inesse velimus) accedit intellectivum, quod hominum est summus finis. Sed hoc ut sit, vegetativum requiri facile est intellectu. Neque minus opus est sensitivo. Nam sine perceptionibus memoria esse non potest, sine memoria autem experientia exsistere nequit, qua, ut ad artem et scientiam perveniamus, carere non possumus[1]). Inferioris igitur gradus quod erat

---

[1]) Met. A, 1. in.

summum, superioris fit instrumentum eique suppeditat exsistendi copiam. Minime vero gradus superior procreatur ab inferiore, sed novum quid semper in superiore inest, quod ex illo ducere ac repetere non licet, atque tantum abest ut praestantior gradus oriatur per inferiorem, ut hic non sit nisi ut praestantior possit consistere.

Vidimus igitur in individuis inferiorem partem subici superiori. Eadem autem ratio etiam in rerum naturalium ordinibus cernitur. Nam sua quidem causa oriuntur plantae, tamen ita, ut simul animalium causa sint iisque suppeditent pabula. Pariter bestiae quamvis suis utantur finibus, tamen simul hominum causa sunt, cicures quidem propter usum atque nutrimentum quod inde capitur, ferae autem, etsi non omnes tamen plurimae, nutrimenti atque alius utilitatis gratia, veluti ut vestitus et instrumenta ex earum partibus fiant[1]).

Quod idem etiam in hominum vita cognoscere licet, ubi aliae artes et opificia aliis sunt subiecta. Veluti arti equestri subiecta est ea quae in frenis conficiendis occupata est, ceteraeque omnes quae instrumenta equestria comparant, atque haec ipsa equestris omnisque actio militaris arti imperatoriae, itemque aliae aliis sunt subiectae[2]). Neque homines singuli, si finem suum volunt assequi, per se possunt consistere, sed ineundae sunt iis societates.

Ac primum quidem sunt qui non habeant nisi tantum prudentiae, ut percipere possint atque efficere, ab aliis quae imperantur; corpora autem eorum firma a natura facta sunt ac robusta, ut exsequendis iis quae mandantur sint idonea. Id generis autem homines par est servire aliis, qui mente

---

[1]) Polit. I, 8. 1256 b 15: *ὥστε ὁμοίως δῆλον ὅτι καὶ γενομένοις οἰητέον τά τε φυτὰ τῶν ζῴων ἕνεκεν εἶναι καὶ τἆλλα ζῷα τῶν ἀνθρώπων χάριν, τὰ μὲν ἥμερα καὶ διὰ τὴν χρῆσιν καὶ διὰ τὴν τροφήν, τῶν δ᾽ ἀγρίων, εἰ μὴ πάντα, ἀλλὰ τά γε πλεῖστα τῆς τροφῆς καὶ ἄλλης βοηθείας ἕνεκεν, ἵνα καὶ ἐσθὴς καὶ ἄλλα ὄργανα γίνηται ἐξ αὐτῶν. εἰ οὖν ἡ φύσις μηθὲν μήτε ἀτελὲς ποιεῖ μήτε μάτην, ἀναγκαῖον τῶν ἀνθρώπων ἕνεκεν αὐτὰ πάντα πεποιηκέναι τὴν φύσιν.*

[2]) Eth. Nic. I, 1. 1094 a 10 sqq.

possunt providere, similiter atque naturae convenit, ut corpus pareat rationi, hominibus bestiae cicures atque omnino id quod est inferius meliori ac praestantiori [1]).

Neque minus ex usu his est servire aliis, cum hac sola conditione serventur [2]), similiter atque corpus tum demum bene se habet, si paret rationi, atque bestiae cicures pereunt, nisi se submittunt ac serviunt hominibus [3]).

Sed non magis per se consistere possunt ii qui mente quidem antecellunt, corporibus autem utuntur ad perficienda ea quae volunt non satis idoneis. Qui ut alios sibi subigerent iisque uterentur instrumentorum instar, ipsa natura voluit, quocirca vel bella ad servos sibi comparandos instituere fas est [4]). In hac igitur societate et domini et servi salus consistit, ita ut utrique eo quo voluit natura modo colenda sit atque alter necesse sit ut bene imperet, ut bene serviat alter [5]).

---

[1]) Polit. I, 5. 1254 b 16: *ὅσοι μὲν οὖν τοσοῦτον διεστᾶσιν ὅσον ψυχὴ σώματος καὶ ἄνθρωπος θηρίου (διάκεινται δὲ τοῦτον τὸν τρόπον, ὅσων ἐστὶν ἔργον ἡ τοῦ σώματος χρῆσις, καὶ τοῦτ' ἔστ' ἀπ' αὐτῶν βέλτιστον), οὗτοι μέν εἰσι φύσει δοῦλοι, οἷς βέλτιόν ἐστιν ἄρχεσθαι ταύτην τὴν ἀρχήν.* L. l. b 27: *βούλεται μὲν οὖν ἡ φύσις καὶ τὰ σώματα διαφέροντα ποιεῖν τὰ τῶν ἐλευθέρων καὶ τῶν δούλων, τὰ μὲν ἰσχυρὰ πρὸς τὴν ἀναγκαίαν χρῆσιν, τὰ δ' ὀρθὰ καὶ ἄχρηστα πρὸς τὰς τοιαύτας ἐργασίας, ἀλλὰ χρήσιμα πρὸς πολιτικὸν βίον.*

[2]) L. l. I, 5. 1254 b 39: *ὅτι μὲν τοίνυν εἰσὶ φύσει τινὲς οἱ μὲν ἐλεύθεροι οἱ δὲ δοῦλοι, φανερόν, οἷς καὶ συμφέρει τὸ δουλεύειν καὶ δίκαιον.*

[3]) L. l. 1254 b 6 sqq.

[4]) L. l. I, 8. 1256 b 23: *διὸ καὶ ἡ πολεμικὴ φύσει κτητική πως ἔσται. ἡ γὰρ θηρευτικὴ μέρος αὐτῆς, ᾗ δεῖ χρῆσθαι πρός τε τὰ θηρία καὶ τῶν ἀνθρώπων ὅσοι πεφυκότες ἄρχεσθαι μὴ θέλουσιν, ὡς φύσει δίκαιον τοῦτον ὄντα τὸν πόλεμον.*

[5]) L. l. I, 2. 1252 a 26: *ἀνάγκη δὴ πρῶτον συνδυάζεσθαι τοὺς ἄνευ ἀλλήλων μὴ δυναμένους εἶναι, οἷον θῆλυ μὲν καὶ ἄρρεν τῆς γενέσεως ἕνεκεν, ... ἄρχον δὲ φύσει καὶ ἀρχόμενον διὰ τὴν σωτηρίαν· τὸ μὲν γὰρ δυνάμενον τῇ διανοίᾳ προορᾶν ἄρχον φύσει καὶ δεσπόζον φύσει, τὸ δὲ δυνάμενον τῷ σώματι ταῦτα ποιεῖν ἀρχόμενον καὶ φύσει δοῦλον. διὸ δεσπότῃ καὶ δούλῳ ταὐτὸ συμφέρει.* 6. 1255 b 6: *(δῆλον) καὶ ὅτι ἔν τισι διώρισται τὸ τοιοῦτον, ὧν συμφέρει τῷ μὲν τὸ δουλεύειν τῷ δὲ τὸ δεσπόζειν, καὶ δίκαιον, καὶ δεῖ τὸ μὲν ἄρχεσθαι τὸ δ' ἄρχειν, ἣν πεφύκασιν ἀρχὴν ἄρχειν, ὥστε καὶ δεσπόζειν. τὸ δὲ κακῶς ἀσυμφόρως ἐστὶν ἀμφοῖν·*

Sed satis haec una societas non est. Cum enim animalibus natura insitum sit, ut procreent alia sui generis, viro et feminae ineundum est coniugium [1]). Quamvis vero prima haec sit causa, cur vir et femina inter se coniungantur et copulentur, tamen sola non est, immo multae praeterea sunt aliae. Etenim natura opera functionesque inter utrumque divisit, ita ut alia sint viri, alia feminae, veluti, ut hoc uno utamur exemplo, viri est parare et acquirere, conservare ac tueri mulieris [2]). Itaque neuter eorum per se bene vivere potest neque assequi sufficientiam, sed necesse est eos opera sua in unum quasi conferre et conciliare [3]). Atque natura animi eorum et ingenia exstiterunt ea, ut optime inter se congruerent.

In unaquaque autem societate, ut conservetur, uni reliqui se subiciant prorsus est necesse [4]). Iam cum vir muliere

---

τὸ γὰρ αὐτὸ συμφέρει τῷ μέρει καὶ τῷ ὅλῳ καὶ σώματι καὶ ψυχῇ, ὁ δὲ δοῦλος μέρος τι τοῦ δεσπότου, οἷον ἔμψυχόν τι τοῦ σώματος κεχωρισμένον δὲ μέρος. διὸ καὶ συμφέρον ἐστί τι καὶ φιλία δούλῳ καὶ δεσπότῃ πρὸς ἀλλήλους τοῖς φύσει τούτων ἠξιωμένοις.

[1]) L. l. I, 2. 1252 a 26: ἀνάγκη δὴ πρῶτον συνδυάζεσθαι τοὺς ἄνευ ἀλλήλων μὴ δυναμένους εἶναι, οἷον θῆλυ μὲν καὶ ἄρρεν τῆς γενέσεως ἕνεκεν (καὶ τοῦτο οὐκ ἐκ προαιρέσεως, ἀλλ' ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ζῴοις καὶ φυτοῖς φυσικὸν τὸ ἐφίεσθαι, οἷον αὐτό, τοιοῦτον καταλιπεῖν ἕτερον). De anim. II, 4. 415 a 26 sqq.

[2]) Polit. III, 4. 1277 b 24: ἐπεὶ καὶ οἰκονομία ἑτέρα ἀνδρὸς καὶ γυναικός· τοῦ μὲν γὰρ κτᾶσθαι τῆς δὲ φυλάττειν ἔργον ἐστίν.

[3]) Eth. Nic. VIII, 14. 1162 a 19: τοῖς μὲν οὖν ἄλλοις ἐπὶ τοσοῦτον ἡ κοινωνία ἐστίν, οἱ δ' ἄνθρωποι οὐ μόνον τῆς τεκνοποιίας χάριν συνοικοῦσιν, ἀλλὰ καὶ τῶν εἰς τὸν βίον· εὐθὺς γὰρ διῄρηται τὰ ἔργα, καὶ ἔστιν ἕτερα ἀνδρὸς καὶ γυναικός· ἐπαρκοῦσιν οὖν ἀλλήλοις, εἰς τὸ κοινὸν τιθέντες τὰ ἴδια. Oecon. I, 3. 1343 b 26: οὕτω προῳκονόμηται ὑπὸ τοῦ θείου ἑκατέρου ἡ φύσις, τοῦ τε ἀνδρὸς καὶ τῆς γυναικός, πρὸς τὴν κοινωνίαν. διείληπται γὰρ τῷ μὴ ἐπὶ ταὐτὰ πάντα χρήσιμον ἔχειν τὴν δύναμιν, ἀλλ' ἔνια ἐπὶ τἀναντία, εἰς ταὐτὸ δὲ συντείνοντα· τὸ μὲν γὰρ ἰσχυρότερον, τὸ δ' ἀσθενέστερον ἐποίησεν, ἵνα τὸ μὲν φυλακτικώτερον ᾖ διὰ τὸν φόβον, τὸ δ' ἀμυντικώτερον διὰ τὴν ἀνδρίαν, καὶ τὸ μὲν πορίζῃ τὰ ἔξωθεν, τὸ δὲ σώζῃ τὰ ἔνδον. 1343 b 13 sqq. maxime haec: ἐν ἀνθρώπῳ δὲ μάλιστα, ὅτι οὐ μόνον τοῦ εἶναι, ἀλλὰ καὶ τοῦ εὖ εἶναι συνεργὰ ἀλλήλοις τὸ θῆλυ καὶ τὸ ἄρρεν ἐστί. Cf. Fritzsch. Aristot. de amic. p. 73.

[4]) Polit. I, 5. 1254 a 28: ὅσα γὰρ ἐκ πλειόνων συνέστηκε καὶ γίνεται

sit praestantior, is ut imperium in illam exerceat efficitur, tamen non idem quod in servos, sed aristocratiae quod conferre liceat; neque omnium rerum imperium arrogare sibi debet, sed quae sunt mulieris libero eius arbitrio concedere [1]).

At sola quidem per se neutra harum societatum satis est. Itaque opus est tertia quae utramque amplectatur. Haec autem est domus sive familia [2]). Neque domus sola per se sufficit, sed et ipsa alii quod potius sit est subicienda. Proxima autem domui consociatio est pagus [3]). Ex pagis vero compluribus quae exsistit societas plena et perfecta, civitas est, quae iam omnem prope sufficientiam in se continet. Sufficientia autem finis est et optimum [4]). Itaque civitas reliquarum societatum omnium est absolutio et consummatio, atque in ea demum homo indolis perfectionem quam voluit natura adipisci potest et omnium animalium evadit praestantissimum, cum pessimum sit omnium, si civitate careat [5]). Civitas quidem totum est, societates reliquae et singuli homines eius partes.

ἕν τι κοινόν, εἴτ' ἐκ συνεχῶν εἴτ' ἐκ διῃρημένων, ἐν ἅπασιν ἐμφαίνεται τὸ ἄρχον καὶ τὸ ἀρχόμενον.

[1]) Eth. Nic. VIII, 12. 1160 b 32: *ἀνδρὸς δὲ καὶ γυναικὸς ἀριστοκρατικὴ φαίνεται· κατ' ἀξίαν γὰρ ὁ ἀνὴρ ἄρχει, καὶ περὶ ταῦτα ἃ δεῖ τὸν ἄνδρα· ὅσα δὲ γυναικὶ ἁρμόζει, ἐκείνῃ ἀποδίδωσιν. ἁπάντων δὲ κυριεύων ὁ ἀνὴρ εἰς ὀλιγαρχίαν μεθίστησιν.* Polit. I, 13. 1260 a 20: *ὥστε φανερὸν ὅτι ἐστὶν ἠθικὴ ἀρετὴ τῶν εἰρημένων πάντων, καὶ οὐχ ἡ αὐτὴ σωφροσύνη γυναικὸς καὶ ἀνδρός, οὐδ' ἀνδρία καὶ δικαιοσύνη, καθάπερ ᾤετο Σωκράτης, ἀλλ' ἡ μὲν ἀρχικὴ ἀνδρία ἡ δ' ὑπηρετική.* Cf. Fritzsch. Aristot. de amic. p. 60.

[2]) Polit. I, 2. 1252 b 9: *ἐκ μὲν οὖν τούτων τῶν δύο κοινωνιῶν οἰκία πρώτη, καὶ ὀρθῶς Ἡσίοδος εἶπε ποιήσας ʽοἶκον μὲν πρώτιστα γυναῖκά τε βοῦν τ' ἀροτῆρα'. ὁ γὰρ βοῦς ἀντ' οἰκέτου τοῖς πένησίν ἐστιν.*

[3]) L. l. 1252 b 15: *ἡ δ' ἐκ πλειόνων οἰκιῶν κοινωνία πρώτη χρήσεως ἕνεκεν μὴ ἐφημέρου κώμη. μάλιστα δὲ κατὰ φύσιν ἔοικεν ἡ κώμη ἀποικία οἰκίας εἶναι.*

[4]) L. l. I, 2. 1253 a 1.

[5]) L. l. I, 2. 1253 a 31: *ὥσπερ γὰρ καὶ τελεωθὲν βέλτιστον τῶν ζῴων ἄνθρωπός ἐστιν, οὕτω καὶ χωρισθὲν νόμου καὶ δίκης χείριστον πάντων. . . . . . διὸ ἀνοσιώτατον καὶ ἀγριώτατον ἄνευ ἀρετῆς, καὶ πρὸς ἀφροδίσια καὶ ἐδωδὴν χείριστον. ἡ δὲ δικαιοσύνη πολιτικόν· ἡ γὰρ δίκη πολιτικῆς κοινωνίας τάξις ἐστίν· ἡ δὲ δίκη τοῦ δικαίου κρίσις.*

Iam quemadmodum partes corporis durare naturamque suam tenere non possunt, ubi a corpore sunt segregatae ac seiunctae, sic ne homines quidem finem suum possunt adipisci, ubi civitatis communitate carent [1]. Itaque natura hominibus indidit impetum consociationis id generis ineundae atque concessit facultatem dicendi et intellegendi, quid probum sit, quid improbum, atque iustum quid sit, quid iniustum. Ex talibus vero oritur et familia et civitas [2]. Sic natura hominem effecit animal politicum. Quibus expositis iam apparere putamus, quid sibi velit illud Aristoteleum: civitatem et domo et singulis hominibus esse priorem.

Ut paucis complectamur quae adhuc disputata sunt, reperimus causae finalis apud Aristotelem vim atque naturam in his quattuor: primum in eo quod suum cuique opus est exsequendum, deinde in contraria quae inter cogitationem et ortum aut effectionem intercedit ratione, tum in eo quod totum partes constituit iisque est prius, denique quod inferiora potioribus praestantioribusque subiciuntur atque iis serviunt.

Sed iam aliud quid addendum est. Finis idem est atque bonum [3], ac duplici quidem modo. Primum enim fines qui

---

[1]) Polit. I, 2. 1253 a 18: *καὶ πρότερον δὴ τῇ φύσει πόλις ἢ οἰκία καὶ ἕκαστος ἡμῶν ἐστιν. τὸ γὰρ ὅλον πρότερον ἀναγκαῖον εἶναι τοῦ μέρους· ἀναιρουμένου γὰρ τοῦ ὅλου οὐκ ἔσται ποὺς οὐδὲ χείρ, εἰ μὴ ὁμωνύμως, ὥσπερ εἴ τις λέγοι τὴν λιθίνην· διαφθαρεῖσα γὰρ ἔσται τοιαύτη. πάντα δὲ τῷ ἔργῳ ὥρισται καὶ τῇ δυνάμει, ὥστε μηκέτι τοιαῦτα ὄντα οὐ λεκτέον τὰ αὐτὰ εἶναι ἀλλ' ὁμώνυμα. ὅτι μὲν οὖν ἡ πόλις καὶ φύσει καὶ πρότερον ἢ ἕκαστος, δῆλον· εἰ γὰρ μὴ αὐτάρκης ἕκαστος χωρισθείς, ὁμοίως τοῖς ἄλλοις μέρεσιν ἕξει πρὸς τὸ ὅλον.*

[2]) L. l. a 1: *ἐκ τούτων οὖν φανερὸν ὅτι τῶν φύσει ἡ πόλις ἐστί, καὶ ὅτι ἄνθρωπος φύσει πολιτικὸν ζῷον. . . . . . οὐθὲν γάρ, ὡς φαμέν, μάτην ἡ φύσις ποιεῖ, λόγον δὲ μόνον ἄνθρωπος ἔχει τῶν ζῴων. ἡ μὲν οὖν φωνὴ τοῦ λυπηροῦ καὶ ἡδέος ἐστὶ σημεῖον, διὸ καὶ τοῖς ἄλλοις ὑπάρχει ζῴοις· μέχρι γὰρ τούτου ἡ φύσις αὐτῶν ἐλήλυθεν ὥστε αἰσθάνεσθαι τοῦ λυπηροῦ καὶ ἡδέος καὶ ταῦτα σημαίνειν ἀλλήλοις· ὁ δὲ λόγος ἐπὶ τῷ δηλοῦν ἐστὶ τὸ συμφέρον καὶ τὸ βλαβερόν, ὥστε καὶ τὸ δίκαιον καὶ τὸ ἄδικον. τοῦτο πρὸς τἆλλα ζῷα τοῖς ἀνθρώποις ἴδιον, τὸ μόνον ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ καὶ δικαίου καὶ ἀδίκου καὶ τῶν ἄλλων αἴσθησιν ἔχειν. ἡ δὲ τούτων κοινωνία ποιεῖ οἰκίαν καὶ πόλιν.*

[3]) Met. A, 3. 983 a 31: *τετάρτην δὲ τὴν ἀντικειμένην αἰτίαν ταύτῃ,*

sunt secundum naturam bona sunt per se, obiective quod nos vocamus, veluti per se est bonum videre cogitare vivere, cum, id quod infra demonstrabimus, originem habeant a deo optimo. Deinde vero bona sunt etiam subiecto. Quod cur ita se habeat, apparebit ex his. Iam saepius vidimus suum cuique rei a natura opus exsequendum esse impositum. Sed ab initio quidem rei non indita est nisi functionis potentia, ita tamen, ut simul insit impetus ad actum eius perducendae. Itaque si quid opere suo rite fungitur, suum ipsius finem assequitur atque suae ipsius naturae satis facit, quo efficitur, ut finis ad actum perductus ipsi sit bonum indeque oriatur voluptas, certe iis quae voluptatis et doloris sensu utuntur. Quam ob causam nos quidem amamus sensuum perceptiones et actiones mentis[1]). Duo igitur finis genera Aristoteles distinguit, quorum alterum vocat *τὸ οὗ*, quod finem significat, quatenus per se est bonum, alterum *τὸ ᾧ*, quod denotat finem, quatenus bonum est subiecto. Quod finis discrimen Aristoteles significavit quidem saepius, nusquam vero, certe in libris qui nobis servati sunt, satis perspicue explicuit[2]). Disputarunt autem de eo interpretes Graeci ad Phys. II, 2. 194 a 35, quibuscum consentiens luculentius etiam rem exposuit Themistius ad Aristot. de

---

τὸ οὗ ἕνεκα καὶ τἀγαθόν (τέλος γὰρ γενέσεως καὶ κινήσεως πάσης τοῦτ' ἐστίν). A, 2. 982 b 10: *καὶ γὰρ τἀγαθὸν καὶ τὸ οὗ ἕνεκα ἓν τῶν αἰτίων ἐστίν.* B', 2. 996 a 23: *ὃ ἂν ᾖ ἀγαθὸν καθ' αὑτὸ καὶ διὰ τὴν αὑτοῦ φύσιν, τέλος ἐστὶν καὶ οὕτως αἴτιον, ὅτι ἐκείνου ἕνεκα καὶ γίγνεται καὶ ἔστι τἆλλα.* Δ, 2. 1013 b 25: *τὰ δ' ὡς τὸ τέλος καὶ τἀγαθὸν τῶν ἄλλων.* K, 1. 1059 a 35: *οὔτε γὰρ περὶ τὸ οὗ ἕνεκεν· τοιοῦτον γὰρ τἀγαθόν.*

[1]) Met. A, 1. in.: *Πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει. σημεῖον δ' ἡ τῶν αἰσθήσεων ἀγάπησις· καὶ γὰρ χωρὶς τῆς χρείας ἀγαπῶνται δι' αὑτάς, καὶ μάλιστα τῶν ἄλλων ἡ διὰ τῶν ὀμμάτων. οὐ γὰρ μόνον ἵνα πράττωμεν, ἀλλὰ καὶ μηθὲν μέλλοντες πράττειν τὸ ὁρᾶν αἱρούμεθα ἀντὶ πάντων ὡς εἰπεῖν τῶν ἄλλων.*

[2]) Phys. II, 2. 194 a 35: *διχῶς γὰρ τὸ οὗ ἕνεκα· εἴρηται δ' ἐν τοῖς περὶ φιλοσοφίας.* De anim. II, 4. 415 b 2: *τὸ δ' οὗ ἕνεκα διττόν, τὸ μὲν οὗ, τὸ δὲ ᾧ.* Met. Λ, 7. 1072 b 2: *ἔστι γάρ τινι τὸ οὗ ἕνεκα, ὧν τὸ μὲν ἔστι τὸ δ' οὐκ ἔστι* (Bekk., contra Schweglerus et Bonitzius: *ἔστι γὰρ διττὸν τὸ οὗ ἕνεκα.* Nos assentimur Bernaysio scribenti: *ἔστι γάρ τινι τὸ οὗ ἕνεκα καί τινος.* Cf. Die Dialoge des Aristoteles, p. 169.)

anim. II, 4. 415 b 2: *τὸ δ' οὗ ἕνεκα διττόν, τὸ μὲν οὗ, τὸ δὲ ᾧ. ὥσπερ γὰρ καὶ ἐν τοῖς Ἠθικοῖς* (cf. Brandis. de Aristotelis libris perditis p. 9) *ἐλέγετο, διττὸν τὸ τέλος, ὡς μὲν τὸ οὗ εὐδαιμονία, ὡς δὲ τὸ ᾧ αὐτὸς ἕκαστος αὐτῷ· καὶ γὰρ τὴν εὐδαιμονίαν δι' αὐτὸν αἱρεῖται καὶ ὥστε ἑαυτῷ ταύτην περιποιήσασθαι. ὥσπερ καὶ ἐπὶ ἰατρικῆς οὗ μὲν ἡ ὑγίεια, ᾧ δὲ τῷ κάμνοντι, οὕτω δὲ καὶ ἐν τῇ φύσει τὴν διπλόην ταύτην θετέον τοῦ τέλους, καὶ οὗ μέν ἐστι ῥητέον τοῦτο εἶναι τὸ θεῖον καὶ ἀΐδιον, ᾧ δὲ τοῦτο εἶναι τὸ ἔμψυχον καὶ τὸ ἐν γενέσει· τούτῳ γὰρ περιποιῆσαι βούλεται εἰκόνα θειότητος καὶ ἀϊδιότητος ἡ φύσις καθ' ὅσον δύναται*[1]).

Finis igitur cum et per se et rei bonum sit, res omnes eum appetunt atque student assequi. Cum autem rerum naturae sint variae, fines quoque quos persequuntur ut sint varii efficitur[2]). Atque ob eandem causam variis utuntur etiam voluptatibus. Nam voluptas e fine apta ac suspensa est. In opere igitur suo uniuscuiusque rei voluptas posita est[3]). Attamen actum, quod iam vidimus, omnes appetunt. Neque id repugnat locis Aristoteleis quos modo attulimus, cum actus omnes genere quidem sint iidem, quamvis specie inter se differant. Iam cum ad actum omnes naturae pervenire studeant, primum omnes appetunt vitam. Ex quo hoc quoque consequitur, ut sustentare eam studeant ac tueri. Nam etiam hoc in causae finalis natura inest, ut finis, ubi effectus est, conservetur, quantum fieri potest. Quocirca animalia instrumentis utuntur a natura concessis, quibus se ab iniuriis aliorum

---

[1]) Cf. Trendelenb. de anim. libr. comment. p. 354: „Illud (*τὸ οὗ*) res est, quam consequi velis, hoc (*τὸ ᾧ*) illud, cui res quam consecutus fueris inservit."

[2]) Eth. Eud. I, 8. 1218 a 30: *τό τε φάναι πάντα τὰ ὄντα ἐφίεσθαι ἑνός τινος ἀγαθοῦ οὐκ ἀληθές. ἕκαστον γὰρ ἰδίου ἀγαθοῦ ὀρέγεται, ὀφθαλμὸς ὄψεως, σῶμα ὑγιείας, οὕτως ἄλλο ἄλλου.*

[3]) Eth. Nic. X, 5. 1176 a 3: *δοκεῖ δ' εἶναι ἑκάστῳ ζῴῳ καὶ ἡδονὴ οἰκεία, ὥσπερ καὶ ἔργον· ἡ γὰρ κατὰ τὴν ἐνέργειαν. καὶ ἐφ' ἑκάστῳ δὲ θεωροῦντι τοῦτ' ἂν φανείη· ἑτέρα γὰρ ἵππου ἡδονὴ καὶ κυνὸς καὶ ἀνθρώπου, καθάπερ Ἡράκλειτός φησιν ὄνον σύρματ' ἂν ἑλέσθαι μᾶλλον ἢ χρυσόν· ἥδιον γὰρ χρυσοῦ τροφὴ ὄνοις.*

impetibusque defendant[1]), atque summa sollertia natura nobilioribus ac praestantioribus corporis partibus ne laederentur providit. Sic oculi palpebrarum tegmento utuntur, ne quid incidat, atque latent utiliter et excelsis undique partibus saepiuntur. Pariter natura pectus eiusque partes, quippe quae ad conservandum corpus maximi sint momenti, costis munivit atque cor et cerebrum validissimis membranis circumdedit[2]).

Porro ex eo quod plantae et animalia vitam appetunt eamque student conservare, manat id quoque quod nutrimento utuntur et procreant prolem. Maxime enim naturale operum est animatis, perfecta quae sunt et non mutila neque ortum habent spontaneum, efficere alia sui generis, veluti animal quidem animal, plantam planta procreat, ut aeternum ac divinum, quantum fieri potest, participent. Nam omnia illud appetunt atque eius causa faciunt quae faciunt secundum naturam. Cum autem aeternum atque divinum participare non possint vitae continuitate, quoniam nihil ex iis quae mortalia sunt numero unum et idem manet, qua ratione quidque eius particeps esse potest, ea participat atque manet non idem, verum quale ipsum est, numero quidem non unum, sed unum specie[3]).

Sic omnes naturae vitam appetunt actusque ipsis proprios exhibendos atque student vitam conservare et participes fieri aeternitatis. Quae omnia faciunt, cum sint bona. Homo

---

[1]) De part. an. III, 2.

[2]) L. I. II, 9. 654 b 32: *τοῖς μὲν οὖν ἄλλοις ὕπεστιν ὀστᾶ τοῖς σαρκώδεσι μορίοις, τοῖς μὲν κινουμένοις διὰ κάμψιν τούτου χάριν, τοῖς δ' ἀκινήτοις φυλακῆς ἕνεκεν, οἷον αἱ συγκλείουσαι πλευραὶ τὸ στῆθος σωτηρίας χάριν τῶν περὶ τὴν καρδίαν σπλάγχνων.* III, 11. 673 b 8: *μέγιστοι δὲ καὶ ἰσχυρότατοι τῶν ὑμένων εἰσὶν οἵ τε περὶ τὴν καρδίαν καὶ περὶ τὸν ἐγκέφαλον, εὐλόγως· ταῦτα γὰρ δεῖται πλείστης φυλακῆς· ἡ μὲν γὰρ φυλακὴ περὶ τὰ κύρια, ταῦτα δὲ κύρια μάλιστα τῆς ζωῆς.*

[3]) De anim. II, 4. 415 a 26, de gen. anim. II, 1. 735 a 17, de gen. et corr. II, 10. 336 b 26, Polit. I, 2. 1252 a 28, coll. Plat. Sympos. p. 206 C: *ἔστι δὲ τοῦτο θεῖον τὸ πρᾶγμα, καὶ τοῦτο ἐν θνητῷ ὄντι τῷ ζώῳ ἀθάνατον ἔνεστιν, ἡ κύησις καὶ ἡ γέννησις.* 206 E: *τί δὴ οὖν τῆς γεννήσεως; ὅτι ἀειγενές ἐστι καὶ ἀθάνατον ὡς θνητῷ ἡ γέννησις.*

vero, quidquid agit et operatur, non ab aliam causam operatur, quam quod bonum aut est aut ipsi videtur [1]), atque omnis ars similiterque actio et agendi consilium bonum aliquod appetit [2]). Multae autem cum sint actiones et artes doctrinaeque, fines quoque exsistunt multi. Nam medicinae quidem finis est bona valetudo, artis construendarum navium navis, victoria artis imperatoriae, oeconomiae divitiae [3]). Qui vero opus aliquod efficiunt actionemque aliquam obeunt, iis in opere ipso bonum suum consistit. Itaque homini quoque, si quod eius est opus et munus, in eo ipso bonum positum est. Credere autem non licet fabri et sutoris aliquod esse opus et aliquam actionem, hominis vero esse nullum, immo ut oculi, manus, pedis singularumque partium omnium suum cuiusque opus et munus est, sic hominis quoque praeter haec omnia aliquod opus esse nobis est statuendum. Quod ubi cognoverimus, etiam quod bonum sit hominis proprium, habebimus perspectum. Quod autem vivit, id quidem cum stirpibus et plantis ei commune esse apparet. Quocirca vita ea quae in alendo et augescendo consistit, ubi opus quaerimus hominis proprium, removenda est. Pariter vita quae in sentiendo est posita homini communis est cum equo et bove atque animantibus omnibus. Relinquitur igitur vita quaedam agens, propria illius in homine quod ratione praeditum est. Eius autem pars una est quae rationi obtemperat, cum ipsa sit rationis expers, altera quae cogitandi munere fungitur. Cuius actionem apparet esse illa nobiliorem. Sed cum haec ipsa vita duobus modis dicatur, eam quae in functione muneris consistit ponere debemus praestantiorem. Itaque opus hominis statuamus necesse est vitam quandam esse eamque actum animi et actiones cum ratione coniunctas [4]). Iam cum unamquamque actionem

---

[1]) Eth. Nic. III, 6. Met. *Λ*, 1072 a 27: *ἐπιθυμητὸν μὲν γὰρ τὸ φαινόμενον καλόν, βουλητὸν δὲ πρῶτον τὸ ὂν καλόν.*

[2]) Eth. Nic. I, 1. in.: *Πᾶσα τέχνη καὶ πᾶσα μέθοδος, ὁμοίως δὲ πρᾶξίς τε καὶ προαίρεσις, ἀγαθοῦ τινὸς ἐφίεσθαι δοκεῖ.*

[3]) L. l. I, 1. 1094 a 6.

[4]) L. l. I, 6. 1097 b 30 sqq.

quae secundum naturam est consequatur voluptas eaque tanto maior, quanto praestantior illa est[1]), speculationem quoque (nam haec est actio partis eius quae cogitandi munere fungitur) necesse est sequatur voluptas eaque summa. Praeterea mentis actio omnium maxime continua est et maxime utitur sufficientia[2]). Quam ob rem homini hac ratione instituto si suppeditant quae necessaria sunt ad vitam suo modo sustentandam, atque absunt magna mala cladesque, summa ei exsistit felicitas et vita optima, quae praestantior est quam humana, *ἢ κατ᾽ ἄνθρωπον.* Non enim quatenus homo est, ita vivit, sed qua divinum quiddam ei inest. Minime vero oportet humana cogitare eum qui homo natus est, neque mortalia qui est mortalis, quin potius summa ope nitendum est, ut quantum licet mortalitatis conditioni nos eximamus, omniaque sunt agenda, ut vivamus secundum partem nostri eam quae est melior.

---

[1]) L. l. X, 4. 1174 b 18: *καθ᾽ ἕκαστον δὲ βελτίστη ἐστὶν ἡ ἐνέργεια τοῦ ἄριστα διακειμένου πρὸς τὸ κράτιστον τῶν ὑφ᾽ αὐτήν. αὕτη δ᾽ ἂν τελειοτάτη εἴη καὶ ἡδίστη· κατὰ πᾶσαν γὰρ αἴσθησίν ἐστιν ἡδονή, ὁμοίως δὲ καὶ διάνοιαν καὶ θεωρίαν, ἡδίστη δ᾽ ἡ τελειοτάτη, τελειοτάτη δ᾽ ἡ τοῦ εὖ ἔχοντος πρὸς τὸ σπουδαιότατον τῶν ὑφ᾽ αὐτήν. τελειοῖ δὲ τὴν ἐνέργειαν ἡ ἡδονή.*

[2]) L. l. X, 7. in.: *Εἰ δ᾽ ἐστὶν ἡ εὐδαιμονία κατ᾽ ἀρετὴν ἐνέργεια, εὔλογον κατὰ τὴν κρατίστην· αὕτη δ᾽ ἂν εἴη τοῦ ἀρίστου. εἴτε δὴ νοῦς τοῦτο εἴτε ἄλλο τι, ὃ δὴ κατὰ φύσιν δοκεῖ ἄρχειν καὶ ἡγεῖσθαι καὶ ἔννοιαν ἔχειν περὶ καλῶν καὶ θείων, εἴτε θεῖον ὂν καὶ αὐτὸ εἴτε τῶν ἐν ἡμῖν τὸ θειότατον, ἡ τούτου ἐνέργεια κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν εἴη ἂν ἡ τελεία εὐδαιμονία. ὅτι δ᾽ ἐστὶ θεωρητική, εἴρηται. ὁμολογούμενον δὲ τοῦτ᾽ ἂν δόξειεν εἶναι καὶ τοῖς πρότερον καὶ τῷ ἀληθεῖ. κρατίστη τε γὰρ αὕτη ἐστὶν ἡ ἐνέργεια· καὶ γὰρ ὁ νοῦς τῶν ἐν ἡμῖν, καὶ τῶν γνωστῶν, περὶ ἃ ὁ νοῦς· ἔτι δὲ συνεχεστάτη· θεωρεῖν τε γὰρ δυνάμεθα συνεχῶς μᾶλλον ἢ πράττειν ὁτιοῦν, οἰόμεθά τε δεῖν ἡδονὴν παραμεμῖχθαι τῇ εὐδαιμονίᾳ, ἡδίστη δὲ τῶν κατ᾽ ἀρετὴν ἐνεργειῶν ἡ κατὰ τὴν σοφίαν ὁμολογουμένως ἐστίν· δοκεῖ γοῦν ἡ φιλοσοφία θαυμαστὰς ἡδονὰς ἔχειν καθαριότητι καὶ τῷ βεβαίῳ . . . . ἥ τε λεγομένη αὐτάρκεια περὶ τὴν θεωρητικὴν μάλιστ᾽ ἂν εἴη· τῶν μὲν γὰρ πρὸς τὸ ζῆν ἀναγκαίων καὶ σοφὸς καὶ δίκαιος καὶ οἱ λοιποὶ δέονται, τοῖς δὲ τοιούτοις ἱκανῶς κεχορηγημένων ὁ μὲν δίκαιος δεῖται πρὸς οὓς δικαιοπραγήσει καὶ μεθ᾽ ὧν, ὁμοίως δὲ καὶ ὁ σώφρων καὶ ὁ ἀνδρεῖος καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστος, ὁ δὲ σοφὸς καὶ καθ᾽ αὑτὸν ὢν δύναται θεωρεῖν, καὶ ὅσῳ ἂν σοφώτερος ᾖ, μᾶλλον.*

Sed bonum quod undique absolutum et perfectum sit habere in se debet id quod satis est. Minime vero sufficientiam adesse putamus, si quis solus vitam solitariam agat, sed cum parentibus ac liberis et coniuge atque cum amicis et civibus degat necesse est[1]). Appetunt enim homines sufficientiam, quoniam finis est et optimum[2]), atque ob eam causam, cum soli per se viventes ea uti nequeant, inter se coniunguntur et consociantur. Ex omnibus vero societatibus maxime sunt secundum naturam ideoque maxime in bonorum numero habendae familia pagus civitas, quarum civitas est summa atque potissima, cum reliquas complectatur omnes atque omnem prope contineat sufficientiam[3]). Sic hominibus summum bonum est civitas in eaque demum naturae perfectionem et absolutionem possunt adipisci.

Quamvis autem homini, quatenus est homo, civitas sit summa ac potissima societas, tamen alia est illa multo praestantior ac superior. Societas enim quae omnia omnino quae exstant complectitur atque perfectam continet sufficientiam et summum bonum, haec rerum universitas est. Sed audiamus de ea atque de bono quod in ea insit philosophum ipsum.

Met. *Λ*, 10. in. Aristoteles quaerit, qua ratione mundus boni sit particeps. „Considerandum est," inquit, „quo modo rerum natura habeat bonum atque optimum, utrumne ita ut seiunctum quid sit et quod exstet

---

[1]) L. l. I, 5. 1097 b 8: *τὸ δ' αὔταρκες λέγομεν οὐκ αὐτῷ μόνῳ τῷ ζῶντι βίον μονώτην, ἀλλὰ καὶ γονεῦσι καὶ τέκνοις καὶ γυναικὶ καὶ ὅλως τοῖς φίλοις καὶ πολίταις, ἐπειδὴ φύσει πολιτικὸς ἄνθρωπος.*

[2]) Polit. I, 2. 1252 b 34: *ἔτι τὸ οὗ ἕνεκα καὶ τὸ τέλος βέλτιστον· ἡ δ' αὐτάρκεια τέλος καὶ βέλτιστον.*

[3]) L. l. I, 1. in.: *Ἐπειδὴ πᾶσαν πόλιν ὁρῶμεν κοινωνίαν τινὰ οὖσαν καὶ πᾶσαν κοινωνίαν ἀγαθοῦ τινὸς ἕνεκεν συνεστηκυῖαν (τοῦ γὰρ εἶναι δοκοῦντος ἀγαθοῦ χάριν πάντα πράττουσι πάντες), δῆλον ὡς πᾶσαι μὲν ἀγαθοῦ τινὸς στοχάζονται, μάλιστα δέ, καὶ τοῦ κυριωτάτου πάντων, ἡ πασῶν κυριωτάτη καὶ πάσας περιέχουσα τὰς ἄλλας. αὕτη δ' ἐστὶν ἡ καλουμένη πόλις καὶ ἡ κοινωνία πολιτική.* I, 2. 1252 b 27: *ἡ δ' ἐκ πλειόνων κωμῶν κοινωνία τέλειος πόλις, ἡ δὴ πάσης ἔχουσα πέρας τῆς αὐταρκείας ὡς ἔπος εἰπεῖν, γινομένη μὲν οὖν τοῦ ζῆν ἕνεκεν, οὖσα δὲ τοῦ εὖ ζῆν.*

per sese, an habeat ordinem, h. e. an ita ut contineatur ordine. Utroque modo mundus habet bonum, sicuti exercitus [ἤ alterum respondentis est: cf. Trendelenburg. ad Arist. de anim. p. 208. Waitz. Org. I, p. 520]. Nam et in ordine consistit bonum, quod exercitus habet, et dux est bonum, atque dux etiam magis: non enim hic est per ordinem, sed per hunc ordo [*διά* cum accusativo coniunctum h. l. ut saepe apud Aristotelem *τὸ αἴτιον καὶ τὴν ἀρχήν* significat: cf. Met. A, 3. 983 a 29]. Omnia autem quodammodo composita sunt, quamquam modis diversis, et pisces et volucres et plantae, h. e. vel infimi ordinis naturae, neque ita se habent, ut nulla omnino alteri cum altero sit necessitudo, sed est aliqua: ad unum enim omnia, quae universo continentur, composita sunt [*πρὸς ἓν ἅπαντα συντέτακται*, h. e. omnia ita inter se copulata et coniuncta sunt, ut efficiant unum. Aliter Bonitzius Arist. Metaph. II, p. 519: „omnia enim cum omnibus cohaerent et ad unum tendunt.“ Quae sententia ab his quidem verbis videtur esse aliena], verum ita[1]), ut in

---

[1]) *ἀλλ' ὥσπερ ἐν οἰκίᾳ τοῖς ἐλευθέροις ἥκιστα ἔξεστιν ὅ τι ἔτυχε ποιεῖν, ἀλλὰ πάντα ἢ τὰ πλεῖστα συντέτακται.* Nos comma posuimus ante haec verba, ita ut in hoc enunciato breviloquentia insit illa, quae in sententiis ab *ὥσπερ* particula incipientibus haud rara est, cf. de anim. III, 2. 427 a 9: *ἀλλ' ὥσπερ ἣν καλοῦσί τινες στιγμήν, ᾗ μία καὶ ᾗ δύο, ταύτῃ καὶ διαιρετή.* II, 2. 414 a 20: *σῶμα μὲν γὰρ οὐκ ἔστι, σώματος δέ τι, καὶ διὰ τοῦτο ἐν σώματι ὑπάρχει, καὶ ἐν σώματι τοιούτῳ, καὶ οὐχ ὥσπερ οἱ πρότερον εἰς σῶμα ἐνήρμοζον αὐτήν, οὐθὲν προσδιορίζοντες ἐν τίνι καὶ ποίῳ, καίπερ οὐδὲ φαινομένου τοῦ τυχόντος δέχεσθαι τὸ τυχόν.* Phys. II, 7. 198 b 7: *καὶ εἰ μέλλει τοδὶ ἔσεσθαι, ὥσπερ ἐκ τῶν προτάσεων τὸ συμπέρασμα.* Quae noli cum Prantlio interpretari in hunc modum: „Ferner ob etwa dieses Bestimmte als ein eintreten Werdendes erst bevorstehe, wie z. B. der Schlusssatz aus den Prämissen.“ Quae autem horum verborum sit sententia, explicabitur p. 51. Plat. Sympos. 179 D: *τοιγάρτοι διὰ ταῦτα δίκην αὐτῷ ἐπέθεσαν, καὶ ἐποίησαν τὸν θάνατον αὐτοῦ ὑπὸ γυναικῶν γενέσθαι, οὐχ ὥσπερ Ἀχιλλέα τὸν τῆς Θέτιδος υἱὸν ἐτίμησαν καὶ εἰς μακάρων νήσους ἀπέπεμψαν.* Ad quae verba verissime Stallbaumius „Notabis“, ait, „breviloquentiam pro: *ἀλλ' οὐκ ἐτίμησαν αὐτὸν ὥσπερ Ἀχιλλέα, ὃν καὶ εἰς μακάρων νήσους ἀπέπεμψαν.*“ Cui loco homo doctissimus adscripsit: Sympos. 189 C: *ἐμοὶ δοκοῦσιν ἄνθρωποι — θυσίας ἂν ποιεῖν μεγίστας,*

domo ac familia, ubi ingenuis minime quod fors tulerit facere licet, sed his (ingenuis) omnia aut pleraque certa lege constituta sunt [scil. ratione *τοῦ ὅλου τῆς οἰκίας*], dum mancipiis et animalibus exiguum est quod attingat commune, i. e. domum universam, pleraque autem in casu posita sunt. Nam certae illi legi quae ingenuis scripta est, non sunt obnoxia mancipia et animalia domestica. Tale enim principium uniuscuiusque eorum est natura, i. e. causa huius discriminis in varia singularum rerum natura posita est: suus enim cuique locus ac sua cuique agendi ratio pro naturae diversitate assignata est.

Iam a similitudine domus redit Aristoteles ad rationem mundi. Omnia enim discernantur necesse est. Quod scribitur *λέγω δ' οἷον*, h. l. ex frequentissimo Aristotelis usu explicationi eorum quae modo dicta sunt inservit. Verbo *διακριθῆναι* varietatem quandam et diversitatem significari, planum est: cuius modi ea sit, dubium. Sed hic quidem, quia interpretum qui de hoc loco disseruerunt sententias examinabimus infra [1]), nobis quid videatur in medium proferre satis habemus. Si similitudinem illam quam a domo in proximis petiverat philosophus adhuc meminimus, ad necessitudinis varietatem quae singulis rebus cum toto intercedit, et ad diversitatem agendi quae ex illa pendet animo informandam sententiarum tenore ducimur. „Omnia," inquit, „inter se discernantur necesse est," hoc pacto, ut, quemadmodum in domo sua cuique provincia assignata est, ita in mundo universo suum quidque locum cum natura sua congruentem suamque agendi rationem obtineat et tueatur.

οὐχ ὥσπερ νῦν τούτων οὐδὲν γίγνεται περὶ αὐτόν. Gorg. 522 A: *τοὺς νεωτάτους ὑμῶν διαφθείρει τέμνων τε καὶ κάων —. οὐχ ὥσπερ ἐγὼ πολλὰ καὶ ἡδέα καὶ παντοδαπὰ εὐώχουν ὑμᾶς*, ubi v. Heindorf. Protagor. 341 A: *ἄπειρος εἶναι φαίνει, οὐχ ὥσπερ ἐγὼ ἔμπειρος διὰ τὸ μαθητὴς εἶναι.* Aristoph. Equitt. v. 784: *οὐ φροντίζει σκληρῶς σε καθήμενον οὕτως, οὐχ ὥσπερ ἐγὼ ῥαψάμενός σοι τουτὶ φέρω.*

[1]) Vid. excurs. II.

Atque alia eiusmodi sunt, ut omnes res ea participent ad totum, [ὧν i. e. ὥστε αὐτῶν, cf. Plat. Rep. II, 360 B. Herod. IV, 52 cet.] h. e. praeter ea quae sunt singularum rerum naturae propria ac peculiaria, sunt etiam certa quaedam, quae omnibus omnino communia sunt, atque per quae omnibus necessitudo aliqua cum universo contingit. Quae autem sint illa ὧν κοινωνεῖ ἅπαντα, etsi Aristoteles neque hic neque alio loco dicit, apparebit ex iis quae infra disputabuntur.

Subsistamus paulisper in hoc loco considerando. Summum igitur bonum et transcendens est, quod nostri philosophi vocant, et immanens. Ac transcendens quidem bonum est deus, contra mundi ordo est bonum immanens, cuius ille est auctor. Ad unum igitur res quasi compositae atque coniunctae sunt; attamen non omnes eadem utuntur conditione, sed varia singulis generibus cum mundo universo est ratio, quam ob causam etiam libertatis plus minusve singulis conceditur. Veluti siderum, quibus maxime opus sit ad mundum conservandum, artissimis finibus vita et actio circumscripta est, contra rebus quae fiunt et intereunt, ut quae multo minus ad totum servandum conferant, multo plus libertatis conceditur et multa in iis permittuntur casui. Quamvis autem magna sit rerum diversitas, tamen quaedam sunt omnibus communia, per quae omnia in mundum unum conciliantur. Omnia enim divinum, τὸ θεῖον, appetunt, per quem appetitum omnia et valent aliquid ad summum bonum quod in hoc mundo inest, et id participant [1]). Cum autem varia quae rebus singulis cum universo intercedit ratio in earum ipsarum natura posita sit, res singulae constitutae sint necesse est secundum universitatem. Redit igitur idem quod iam in corpore notavimus. Quemadmodum enim singulae corporis partes factae sunt secundum corpus totum, sic etiam singularum rerum natura deo

---

[1]) Haec magis apparebunt ex loco ubi de numine divino verba faciemus, maxime ex iis quae de ratione, quae formis ac substantiis cum deo intercedat, exponentur.

instituenda erat ea, ut omnes inter se concinerent et in unum quasi corpus possent coalescere.

Hucusque maxime de causa finali disputavimus atque demonstravimus. supra cum ea consociandas esse causam formalem et efficientem; opus autem esse fini, ut re possit exsistere, materia. Sic iam attigimus necessitatis notionem, quae summi in doctrina Aristotelea est momenti. Utitur autem necessitatis vox quattuor maxime apud Aristotelem significationibus, quas philosophus ipse inter se distinguit Met. Δ, 5, ubi primum quidem necessaria monet dici ea sine quibus vivere vel finem propositum assequi nequeamus, veluti respirare et cibo uti necessarium sit animalibus atque necesse sit proficiscaris Aeginam, ut pecuniam quae tibi debeatur accipias. Deinde in necessitate inesse notionem violenti; nam id quoque nos vocare necessarium quod faciamus aliena voluntate atque imperio coacti. Tum eodem uti nomine quae aliter se habere nequeant. Quas tres necessitatis significationes Met. Λ, 7. 1072 b 11 complectitur his: *τὸ γὰρ ἀναγκαῖον τοσαυταχῶς, τὸ μὲν βίᾳ ὅτι παρὰ τὴν ὁρμήν, τὸ δὲ οὗ οὐκ ἄνευ τὸ εὖ, τὸ δὲ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἀλλ' ἁπλῶς*. Denique affert necessitatem syllogismi. Ea enim huius est natura, ut sit *λόγος ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει τῷ ταῦτα εἶναι*[1]).

Ex quibus quattuor necessitatis generibus primum tantum ad causam finalem spectare sponte apparet. Sed haec quidem necessitas in doctrina Aristotelea eodem quo causa finalis utitur ambitu[2]), quocirca Aristoteles saepissime finem et necessarium dicit esse causas rerum[3]). Sed quamvis saepe

---

[1]) An. prior. I, 1. 24 b 18, coll. Soph. el. 1. 164 b 27: *ὁ μὲν γὰρ συλλογισμὸς ἐκ τινῶν ἐστὶ τεθέντων ὥστε λέγειν ἕτερόν τι ἐξ ἀνάγκης τῶν κειμένων διὰ τῶν κειμένων.*

[2]) Phys. II, 9. 200 a 7: *ὁμοίως δὲ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις πᾶσιν, ἐν ὅσοις τὸ ἕνεκά του ἐστίν, οὐκ ἄνευ μὲν τῶν ἀναγκαίαν ἐχόντων τὴν φύσιν, οὐ μέντοι γε διὰ ταῦτα ἀλλ' ἢ ὡς ὕλην, ἀλλ' ἕνεκά του.*

[3]) De part. an. I, 1. 642 a 1: *εἰσὶν ἄρα δύ' αἰτίαι αὗται, τό θ' οὗ ἕνεκα καὶ τὸ ἐξ ἀνάγκης· πολλὰ γὰρ γίνεται, ὅτι ἀνάγκη.* De gen. an. II,

ab Aristotele iuxta ponantur, tamen natura et indole maximo opere inter se differunt. Nam finis quidem est causa primaria, contra quae res necessitatis locum obtinent, cum non sint nisi ut finis esse possit, causae sunt secundariae[1]). Necessaria igitur non sunt per se, sed propter finem, quam ob causam Stagirites ea vocat *ἀναγκαῖα ἐξ ὑποθέσεως*[2]). Hypothesis enim est finis, qui ut perficiatur, requiruntur alia; itaque necessaria haec sunt ex hypothesi. Quam vocem Trendelenburgio assentimur petitam esse ex analysi geometrica[3]). Itaque tantum abest, ut haec necessitas a fine aliena sit, ut eo constituatur atque ex intima causae finalis natura manet. Quae autem tali modo sunt necessaria, eorum primum locum tenet materia. Quod ut demonstremus, utamur exemplo ab Aristotele ipso prolato. Ut ligna dissecemus, opus est serra; sed haec esse non potest sine materia; itaque ante omnia requiritur materia. Sed minime cuiuslibet generis materia ad efficiendum finem quem proposuimus idonea est. Nam e lana non possumus facere serram. Itaque certo et proprio materiae genere unaquaeque res perficienda est, veluti serra efficienda est ferrea aut aenea[4]). Sed etiam atque etiam premendum

---

6. 743 b 16: *πάντα δὲ ταῦτα, καθάπερ εἴπομεν, λεκτέον γίνεσθαι τῇ μὲν ἐξ ἀνάγκης τῇ δ' οὐκ ἐξ ἀνάγκης ἀλλ' ἕνεκά τινος.*

[1]) Met. *Δ*, 5. in.: *Ἀναγκαῖον λέγεται, οὗ ἄνευ οὐκ ἐνδέχεται ζῆν ὡς συναιτίου.* De anim. II, 4. 416 a 9: *δοκεῖ δέ τισιν ἡ τοῦ πυρὸς φύσις ἁπλῶς αἰτία τῆς τροφῆς καὶ τῆς αὐξήσεως εἶναι. . . . . . τὸ δὲ συναίτιον μέν πώς ἐστιν, οὐ μὴν ἁπλῶς γε αἴτιον, ἀλλὰ μᾶλλον ἡ ψυχή.*

[2]) De part. an. I, 1. 642 a 1: *εἰσὶν ἄρα δύ' αἰτίαι αὗται, τό θ' οὗ ἕνεκα καὶ τὸ ἐξ ἀνάγκης· πολλὰ γὰρ γίνεται, ὅτι ἀνάγκη. ἴσως δ' ἄν τις ἀπορήσειε ποίαν λέγουσιν ἀνάγκην οἱ λέγοντες ἐξ ἀνάγκης· τῶν μὲν γὰρ δύο τρόπων οὐδέτερον οἷόν τε ὑπάρχειν, τῶν διωρισμένων ἐν τοῖς κατὰ φιλοσοφίαν. ἔστι δ' ἔν γε τοῖς ἔχουσι γένεσιν ἡ τρίτη· λέγομεν γὰρ τὴν τροφὴν ἀναγκαῖόν τι κατ' οὐδέτερον τούτων τῶν τρόπων, ἀλλ' ὅτι οὐχ οἷόν τ' ἄνευ ταύτης εἶναι. τοῦτο δ' ἐστὶν ὥσπερ ἐξ ὑποθέσεως.* I, 1. 639 b 21 sqq.

[3]) Log. Unters. II, p. 35 sq.

[4]) De anim. I, 1. 403 b 2: *ὁ μὲν γὰρ λόγος εἶδος τοῦ πράγματος, ἀνάγκη δ' εἶναι τοῦτον ἐν ὕλῃ τοιᾳδί, εἰ ἔσται.* Phys. II, 2. 194 b 9: *ἄλλῳ γὰρ εἴδει ἄλλη ὕλη.* De part. an. I, 1. 642 a 9: *τοῦτο δ' ἐστὶν ὥσπερ*

est materiam esse causam secundariam, primariam finem atque huius gratia esse substratum [1]).

Sic materia eiusque motus in necessitatis loco sunt [2]). Neque minus necessitas quae est ex hypothesi cernitur in certis ac firmis legibus, quibus omnis ortus et effectionis ratio circumscripta est. Veluti sanitas si cui restituenda est, primum calor efficiendus est, deinde iusta corporis temperies oportet oriatur; atque domus si est aedificanda primum hoc, deinde aliud quid est movendum, eaque ratione deinceps omnia, donec domus quae erat mente concepta ad effectum adducta est [3]). Quin adeo forma, certe aliquatenus, in necessitatis loco habenda est. Sic serra ut dissecet ligna instruenda est dentibus in certum modum conformatis [4]). Accurate autem rem si consideramus, tota forma necessaria est ex hypothesi. Nam ut videamus haec oculi forma atque natura sit necesse

---

ἐξ ὑποθέσεως· ὥσπερ γὰρ ἐπεὶ δεῖ σχίζειν τῷ πελέκει, ἀνάγκη σκληρὸν εἶναι, εἰ δὲ σκληρόν, χαλκοῦν ἢ σιδηροῦν, οὕτως καὶ ἐπεὶ τὸ σῶμα ὄργανον (ἕνεκά τινος γὰρ ἕκαστον τῶν μορίων, ὁμοίως δὲ καὶ τὸ ὅλον), ἀνάγκη ἄρα τοιονδὶ εἶναι καὶ ἐκ τοιωνδί, εἰ ἐκεῖνο ἔσται.

[1]) Phys. II, 9. 200 a 5: *ἀλλ' ὅμως οὐκ ἄνευ μὲν τούτων γέγονεν* (scil. *ὁ τοῖχος*), *οὐ μέντοι διὰ ταῦτα πλὴν ὡς δι' ὕλην, ἀλλ' ἕνεκα τοῦ κρύπτειν ἄττα καὶ σώζειν. ὁμοίως δὲ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις πᾶσιν, ἐν ὅσοις τὸ ἕνεκά του ἐστίν, οὐκ ἄνευ μὲν τῶν ἀναγκαίαν ἐχόντων τὴν φύσιν, οὐ μέντοι γε διὰ ταῦτα ἀλλ' ἢ ὡς ὕλην, ἀλλ' ἕνεκά του, οἷον διὰ τί ὁ πρίων τοιοσδί; ὅπως τοδὶ καὶ ἕνεκα τουδί. τοῦτο μέντοι τὸ οὗ ἕνεκα ἀδύνατον γενέσθαι, ἂν μὴ σιδηροῦς ᾖ· ἀνάγκη ἄρα σιδηροῦν εἶναι, εἰ πρίων ἔσται καὶ τὸ ἔργον αὐτοῦ.*

[2]) L. l. 200 a 30: *φανερὸν δὴ ὅτι τὸ ἀναγκαῖον ἐν τοῖς φυσικοῖς τὸ ὡς ὕλη λεγόμενον καὶ αἱ κινήσεις αἱ ταύτης.*

[3]) De part. an. I, 1. 639 b 23: *ὑπάρχει δὲ τὸ μὲν ἁπλῶς τοῖς ἀϊδίοις, τὸ δ' ἐξ ὑποθέσεως καὶ τοῖς ἐν γενέσει πᾶσιν, ὥσπερ ἐν τοῖς τεχναστοῖς, οἷον οἰκίᾳ καὶ τῶν ἄλλων ὁτῳοῦν τῶν τοιούτων. ἀνάγκη δὲ τοιάνδε τὴν ὕλην ὑπάρξαι, εἰ ἔσται οἰκία ἢ ἄλλο τι τέλος· καὶ γενέσθαι τε καὶ κινηθῆναι δεῖ τόδε πρῶτον, εἶτα τόδε, καὶ τοῦτον δὴ τὸν τρόπον ἐφεξῆς μέχρι τοῦ τέλους καὶ οὗ ἕνεκα γίνεται ἕκαστον καὶ ἔστιν. ὡσαύτως δὲ καὶ ἐν τοῖς φύσει γιγνομένοις.*

[4]) Phys. II, 9. 200 b 4: *ἴσως δὲ καὶ ἐν τῷ λόγῳ ἐστὶ τὸ ἀναγκαῖον. ὁρισαμένῳ γὰρ τὸ ἔργον τοῦ πρίειν ὅτι διαίρεσις τοιαδί· αὕτη δ' οὐκ ἔσται, εἰ μὴ ἕξει ὀδόντας τοιουσδί· οὗτοι δ' οὔ, εἰ μὴ σιδηροῦς. ἔστι γὰρ καὶ ἐν τῷ λόγῳ ἔνια μόρια ὡς ὕλη τοῦ λόγου.*

est, ut dissecemus ligna, talis serrae forma requiritur, neque dentes tantum ex opere exsequendo apti ac suspensi sunt, verum etiam lamina.

Atque etiam multo latius necessitatis hypotheticae apud Aristotelem fines patent. Sic animalium partes quae inferioris sunt ordinis aliisque subiectae si confers potioribus ac praestantioribus, iis quae ex hypothesi necessaria sunt adscribere debes. Veluti quae partes nutrimenta excipiunt et concoquunt, effectae sunt a natura, ut consistere possint nobiliores [1]). Neque aliter res se habet, si sensitivum componimus cum intellectivo. Nam etsi suo ipsius sensitivum utitur fine, tamen idem propter cogitativum est atque, hoc ut esse possit, oritur. Omnino vero omnes partes facultatesque sunt necessariae, ut consistat totum ac suam tueatur naturam [2]).

Neque minus necessitas quae est ex hypothesi cernitur in vita hominum. Nam ut summa illa beatitudine et vita optima frui possimus, opus est bonis et commodis externis, quae per se quidem appetenda non sunt, sed ob eam solam causam, quod sine iis vita optima consistere nequit [3]). Quod idem videre licet in civitate. Nam finis quidem eius est, ut homines vita uti possint bona atque perfecta [4]). Sed hoc ut fieri possit, multa alia requiruntur, veluti necesse est cives fines incolant eosdem, ut utantur inter se conubio et com-

---

[1]) De part. an. III, 10. 672 b 22: *τὸ μὲν γὰρ ἄνω ἐστὶν οὗ ἕνεκεν καὶ βέλτιον, τὸ δὲ κάτω τὸ τούτου ἕνεκεν καὶ ἀναγκαῖον, τὸ τῆς τροφῆς δεκτικόν.*

[2]) L. l. I, 1. 640 a 33: *διὸ μάλιστα μὲν λεκτέον ὡς ἐπειδὴ τοῦτ' ἦν τὸ ἀνθρώπῳ εἶναι, διὰ τοῦτο ταῦτ' ἔχει· οὐ γὰρ ἐνδέχεται εἶναι ἄνευ τῶν μορίων τούτων.*

[3]) Eth. Nic. I, 10. 1099 b 26: *εἴρηται γὰρ ψυχῆς ἐνέργεια κατ' ἀρετὴν ποιά τις. τῶν δὲ λοιπῶν ἀγαθῶν τὰ μὲν ὑπάρχειν ἀναγκαῖον, τὰ δὲ συνεργὰ καὶ χρήσιμα πέφυκεν ὀργανικῶς.* I, 11. 1100 b 7: *ἢ τὸ μὲν ταῖς τύχαις ἐπακολουθεῖν οὐδαμῶς ὀρθόν. οὐ γὰρ ἐν ταύταις τὸ εὖ ἢ κακῶς, ἀλλὰ προσδεῖται τούτων ὁ ἀνθρώπινος βίος, καθάπερ εἴπομεν, κύριαι δ' εἰσὶν αἱ κατ' ἀρετὴν ἐνέργειαι τῆς εὐδαιμονίας.*

[4]) Polit. I, 2. 1252 b 28: *ἡ δ' ἐκ πλειόνων κωμῶν κοινωνία τέλειος πόλις, ἡ δὴ πάσης ἔχουσα πέρας τῆς αὐταρκείας ὡς ἔπος εἰπεῖν, γινομένη μὲν οὖν τοῦ ζῆν ἕνεκεν, οὖσα δὲ τοῦ εὖ ζῆν.*

mercio, ut communiter se defendant ab exterorum impetibus, ut leges constitutae sint, quae quominus alter ab altero laedatur prohibeant[1]). Quae omnia in necessitatis hypotheticae loco sunt habenda. Denique et domui et civitati opus est servis, sine quibus esse non possunt[2]). Itaque cum utraque societas prorsus sit secundum naturam, haec necesse est procreet homines etiam eos, qui aliis serviant et sint ministri. Itaque sunt, qui natura sint servi[3]).

Sed revertamur ad contemplandas res singulas. In corporibus animalium cuique parti locus est concedendus is, qui naturae maxime conveniat. Etenim corporis partes instru-

---

[1]) L. l. III, 9. 1280 b 29: *φανερὸν τοίνυν ὅτι ἡ πόλις οὐκ ἔστι κοινωνία τόπου καὶ τοῦ μὴ ἀδικεῖν σφᾶς αὐτοὺς καὶ τῆς μεταδόσεως χάριν· ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἀναγκαῖον ὑπάρχειν, εἴπερ ἔσται πόλις, οὐ μὴν οὐδ᾽ ὑπαρχόντων τούτων ἁπάντων ἤδη πόλις, ἀλλ᾽ ἡ τοῦ εὖ ζῆν κοινωνία καὶ ταῖς οἰκίαις καὶ τοῖς γένεσι, ζωῆς τελείας χάριν καὶ αὐτάρκους. οὐκ ἔσται μέντοι τοῦτο μὴ τὸν αὐτὸν καὶ ἕνα κατοικούντων τόπον καὶ χρωμένων ἐπιγαμίαις. διὸ κηδεῖαί τ᾽ ἐγένοντο κατὰ τὰς πόλεις καὶ φρατρίαι καὶ θυσίαι καὶ διαγωγαὶ τοῦ συζῆν. τὸ δὲ τοιοῦτον φιλίας ἔργον· ἡ γὰρ τοῦ συζῆν προαίρεσις φιλία. τέλος μὲν οὖν πόλεως τὸ εὖ ζῆν, ταῦτα δὲ τοῦ τέλους χάριν. πόλις δὲ ἡ γενῶν καὶ κωμῶν κοινωνία ζωῆς τελείας καὶ αὐτάρκους, τοῦτο δ᾽ ἐστίν, ὡς φαμέν, τὸ ζῆν εὐδαιμόνως καὶ καλῶς.*

[2]) L. l. I, 4. in.: *Ἐπεὶ οὖν ἡ κτῆσις μέρος τῆς οἰκίας ἐστὶ καὶ ἡ κτητικὴ μέρος τῆς οἰκονομίας (ἄνευ γὰρ τῶν ἀναγκαίων ἀδύνατον καὶ ζῆν καὶ εὖ ζῆν), ὥσπερ δὲ ἐν ταῖς ὡρισμέναις τέχναις ἀναγκαῖον ἂν εἴη ὑπάρχειν τὰ οἰκεῖα ὄργανα, εἰ μέλλει ἀποτελεσθήσεσθαι τὸ ἔργον, οὕτω καὶ τῶν οἰκονομικῶν. τῶν δ᾽ ὀργάνων τὰ μὲν ἄψυχα τὰ δ᾽ ἔμψυχα, οἷον τῷ κυβερνήτῃ ὁ μὲν οἴαξ ἄψυχον ὁ δὲ πρωρεὺς ἔμψυχον· ὁ γὰρ ὑπηρέτης ἐν ὀργάνου εἴδει ταῖς τέχναις ἐστίν. οὕτω καὶ τὸ κτῆμα ὄργανον πρὸς ζωήν ἐστι, καὶ ἡ κτῆσις πλῆθος ὀργάνων ἐστί, καὶ ὁ δοῦλος κτῆμά τι ἔμψυχον, καὶ ὥσπερ ὄργανον πρὸ ὀργάνων, πᾶς ὁ ὑπηρέτης. εἰ γὰρ ἠδύνατο ἕκαστον τῶν ὀργάνων κελευσθὲν ἢ προαισθανόμενον ἀποτελεῖν τὸ αὐτοῦ ἔργον, ὥσπερ τὰ Δαιδάλου φασὶν ἢ τοὺς τοῦ Ἡφαίστου τρίποδας, οὕς φησιν ὁ ποιητὴς αὐτομάτους θεῖον δύεσθαι ἀγῶνα, οὕτως αἱ κερκίδες ἐκέρκιζον αὐταὶ καὶ τὰ πλῆκτρα ἐκιθάριζεν, οὐδὲν ἂν ἔδει οὔτε τοῖς ἀρχιτέκτοσιν ὑπηρετῶν οὔτε τοῖς δεσπόταις δούλων.*

[3]) Vide quae supra de hac re disputata sunt. Ceterum noli hanc sententiam apud Aristotelem mirari. Nam cum neque civitas neque domus philosopho videretur carere posse servis, certum quoddam hominum genus ut existimaret ad servitium destinatum esse a natura ipsa, ex iis quae de illarum consociationum indole sentiebat necessario consequebatur.

menta sunt animae, quam ob rem unicuique locus concedendus est functioni praestandae idoneus. Cum autem partes singulae componendae sint ita, ut corpus totum apte et bene conficiatur, unaquaeque pars collocanda est reliquarum ratione habita omnium. Quo fit, ut adeo partibus opus sit, quae per se abesse possunt. Sic oesophagus ad corpus nutriendum nihil confert, quam ob rem ad nutritum quidem quod attinet eo carere possumus atque venter statim pone fauces esse quit alia parte non interposita. At pulmo non potest, quapropter arteriae asperae opus est longitudine, quo ut oesophagus inter fauces et ventrem inserendus sit efficitur [1]). Similiter epiglottide carere possemus, si oesophagus locum haberet ante arteriam asperam. Sed hoc fieri nequit. Etenim cor in priore corpore situm atque pulmo cordi propinquus est. Cum autem animalia respirent propter cor atque vim quae in eo inest vitalem, et respiratio fiat per arteriam, propterea quod cor in priore corporis parte collocatum est, etiam arteria ante oesophagum ponenda erat. Iam cibi qui eduntur ne in arteriam penetrarent et perturbarent eam, natura arteriae addidit epiglottidem [2]).

Praeterea multae res in corpore exsistunt non alicuius finis causa, sed consequuntur aliud quid quod alicuius finis gratia efficitur. Sic excrementa non ad consilium naturae propositum spectant, sed victu opus est animalibus atque eum

---

[1]) De part. an. III, 3. 664 a 29: *τοῦ δ' ὀργάνου τοῦ περὶ τὴν ἀναπνοὴν ἐξ ἀνάγκης ἔχοντος μῆκος, ἀναγκαῖον τὸν οἰσοφάγον εἶναι μεταξὺ τοῦ στόματος καὶ τῆς κοιλίας.*

[2]) L. l. III, 3. 665 a 6: *δι' ἣν μὲν οὖν αἰτίαν τὰ μὲν ἔχει τῶν ζῴων τὰ δ' οὐκ ἔχει, ταῦτ' εἰρήσθω, καὶ διότι τῆς ἀρτηρίας τὴν φαυλότητα τῆς θέσεως ἰάτρευκεν ἡ φύσις, μηχανησαμένη τὴν καλουμένην ἐπιγλωττίδα. κεῖται δ' ἔμπροσθεν ἡ φάρυγξ τοῦ οἰσοφάγου ἐξ ἀνάγκης. ἡ μὲν γὰρ καρδία ἐν τοῖς ἔμπροσθεν καὶ ἐν μέσῳ κεῖται, ἐν ᾗ τὴν ἀρχήν φαμεν τῆς ζωῆς καὶ πάσης κινήσεώς τε καὶ αἰσθήσεως, ... ὁ δὲ πλεύμων κεῖται οὗ ἡ καρδία καὶ περὶ ταύτην, ἡ δ' ἀναπνοὴ διά τε τοῦτο καὶ διὰ τὴν ἀρχὴν τὴν ἐν τῇ καρδίᾳ ἐνυπάρχουσαν. ἡ δ' ἀναπνοὴ γίνεται τοῖς ζῴοις διὰ τῆς ἀρτηρίας· ὥστ' ἐπεὶ τὴν καρδίαν ἐν τοῖς ἔμπροσθεν πρώτην ἀναγκαῖον κεῖσθαι, καὶ τὸν φάρυγγα καὶ τὴν ἀρτηρίαν πρότερον ἀναγκαῖον κεῖσθαι τοῦ οἰσοφάγου.*

excrementa sponte sequuntur. Attamen natura provida rebus huius quoque generis, quantum fieri potest, utitur ita, ut commodi quid afferant. Veluti urina eiecta bestiarum quaedam genera ab aliarum ipsis infestarum impetu se defendunt. At in omnibus eiusmodi rebus id fieri non potest. Quam ob causam ubique fines naturae et consilia quaerere non licet, sed cum aliae res oriantur finis alicuius causa, aliae exsistunt necessario [1]). Quae autem tali modo necessaria sunt, hypotheticae necessitatis fines iam aliqua ex parte egrediuntur.

Ut dilucidius appareat, quae sit necessitatis hypotheticae apud Aristotelem vis atque natura, addamus philosophum saepius eam conferre necessitati quae cernitur in syllogismo. Demonstrare enim si quid volumus, hoc ipsum est finis, i. e. conclusio finis est. Haec autem ut exsistat, propositiones sunt adsciscendae. Principium igitur cogitationis est conclusio, quae si non est, ne praemissa quidem sunt, sin autem illam esse volumus, propositio maior et minor adhibendae sunt. Simulque apparet propositiones e conclusione esse aptas atque per eam constitui. Nam ubi aliud est demonstrandum, aliis opus est praemissis. Neque aliter res in actionibus se habet. Etenim si finis nobis propositus est, is principium est cogitationis, sed ut perficiamus eum, aliis opus est per quae ille ad effectum possit adduci. Haec igitur eundem prorsus quem in syllogismo praemissa locum obtinent. Itaque finis si non est, ne ea quidem sunt per quae efficitur, pariter atque conclusio ubi non est, ne praemissa quidem sunt [2]). Sin autem con-

---

[1]) L. l. IV, 2. 677 a 15: *καταχρῆται μὲν οὖν ἐνίοτε ἡ φύσις εἰς τὸ ὠφέλιμον καὶ τοῖς περιττώμασιν, οὐ μὴν διὰ τοῦτο δεῖ ζητεῖν πάντα ἕνεκα τίνος, ἀλλὰ τινῶν ὄντων τοιούτων ἕτερα ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει διὰ ταῦτα πολλά.*

[2]) Phys. II, 9. 200 a 15: *ἔστι δὲ τὸ ἀναγκαῖον ἔν τε τοῖς μαθήμασι καὶ ἐν τοῖς κατὰ φύσιν γινομένοις τρόπον τινὰ παραπλησίως· ἐπεὶ γὰρ τὸ εὐθὺ τοδί ἐστιν, ἀνάγκη τὸ τρίγωνον δύο ὀρθαῖς ἴσας ἔχειν· ἀλλ᾿ οὐκ ἐπεὶ τοῦτο, ἐκεῖνο· ἀλλ᾿ εἴγε τοῦτο μή ἐστιν, οὐδὲ τὸ εὐθύ ἐστιν. ἐν δὲ τοῖς γινομένοις ἕνεκά του ἀνάπαλιν, εἰ τὸ τέλος ἔσται ἢ ἔστι, καὶ τὸ ἔμπροσθεν ἔσται ἢ ἔστιν· εἰ δὲ μή, ὥσπερ ἐκεῖ μὴ ὄντος τοῦ συμπεράσματος ἡ ἀρχὴ οὐκ ἔσται, καὶ ἐνταῦθα τὸ τέλος καὶ τὸ οὗ ἕνεκα· ἀρχὴ γὰρ*

stituta sunt praemissa, necessario ea sequitur conclusio, cum syllogismus sit *λόγος ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει τῷ ταῦτα εἶναι.* Itaque propositiones causae efficientis instar sunt, cum, ubi positae sunt, necessario quasi procreent conclusionem. Quod idem apparet in artis effectionibus. Veluti, ut retineamus exemplum quo iam saepius usi sumus, si medicus hominis aegroti restituere vult sanitatem, sanitatis notio est primum atque principium. Sed sanitas nititur iusta corporis temperie atque haec calore, qui efficiendus est frictione. Itaque frictio ex hypothesi est necessaria. Ubi autem corpus fricatur, necessario consequitur calor atque hunc iusta corporis temperies et hanc bona valetudo. Videmus igitur finem propositum requirere alia, quae ex hypothesi sint necessaria, haec autem ubi adsint, necessario finem consequi. Quae eadem prorsus ratio cernitur in rebus naturalibus [1]). Hic quoque finis est primum; ubi autem quae propter eum necessaria sunt, suppeditant, finis ipse efficitur, cum per eorum naturam aliter fieri nequeat. Atque hac sem-

---

καὶ αὕτη, οὐ τῆς πράξεως ἀλλὰ τοῦ λογισμοῦ· ἐκεῖ δὲ τοῦ λογισμοῦ· πράξεις γὰρ οὐκ εἰσίν. ὥστ' εἰ ἔσται οἰκία, ἀνάγκη ταῦτα γενέσθαι ἢ ὑπάρχειν ἢ εἶναι, ἢ ὅλως τὴν ὕλην τὴν ἕνεκά του, οἷον πλίνθους καὶ λίθους, εἰ οἰκία· οὐ μέντοι διὰ ταῦτά ἐστι τὸ τέλος ἀλλ' ἢ ὡς ὕλην. οὐδ' ἔσται διὰ ταῦτα. ὅλως μέντοι μὴ ὄντων οὐκ ἔσται οὐδ' ἡ οἰκία οὐδ' ὁ πρίων, ἡ μὲν εἰ μὴ οἱ λίθοι, ὁ δ' εἰ μὴ ὁ σίδηρος· οὐδὲ γὰρ ἐκεῖ αἱ ἀρχαί, εἰ μὴ τὸ τρίγωνον δύο ὀρθαῖς. Quorum quae leguntur inde a v. 21. corrigenda sunt in modum hunc: *εἰ δὲ μή, ὥσπερ ἐκεῖ μὴ ὄντος τοῦ συμπεράσματος ἡ ἀρχὴ οὐκ ἔσται, καὶ ἐνταῦθα τοῦ τέλους καὶ τοῦ οὗ ἕνεκα* scil. *μὴ ὄντος ἡ ἀρχὴ οὐκ ἔσται.* Nam finis effectionum respondet syllogismorum conclusioni.

[1]) Phys. II, 7. 198 b 4: *ὥστε ἐπεὶ ἡ φύσις ἕνεκά του, καὶ ταύτην εἰδέναι δεῖ, καὶ πάντως ἀποδοτέον τὸ διὰ τί, οἷον ὅτι ἐκ τοῦδε ἀνάγκη τόδε· τὸ δὲ ἐκ τοῦδε* (Fortasse scribendum est: *τὸ δὲ τόδε ἐκ τοῦδε*, cum antecedat: *οἷον ὅτι ἐκ τοῦδε ἀνάγκη τόδε.* Causa autem vocis praetermissae facilis est ad videndum) *ἢ ἁπλῶς ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. καὶ εἰ μέλλει τοδὶ ἔσεσθαι, ὥσπερ ἐκ τῶν προτάσεων τὸ συμπέρασμα.* Quae extrema interpretanda sunt in hunc modum: atque si hoc futurum est, tum res ita se habet, quemadmodum e propositionibus exsistit conclusio, h. e. si hoc futurum est, aliis est opus, quae hoc consequatur, quemadmodum in syllogismo praemissa sequitur conclusio.

per via ac ratione homo physicus in res naturae inquirere debet[1]).

Eundem quem Aristoteles locum iam Plato materiae atque viribus quae in ea insunt tribuerat. Nam huic quoque philosopho materia eiusque vires non sunt causae primariae, *αἰτίαι πρῶται, αἴτια*, sed causae secundariae, *αἰτίαι δευτέραι, ξυναίτια, ξυμμεταίτια*[2]). Sic de Platonis quidem sententia deus visum nobis largitus est eo maxime consilio, ut cognita rerum universitate atque variis tempestatum vicissitudinibus observatis ad philosophiam perveniremus atque naturae ordinem nostra ipsorum vita imitaremur et veluti exprimeremus. Atque idem iudicandum est de lingua et auditu, quandoquidem et linguae usus et harmoniae sonorum perceptio plurimum valent ad sedandas et compescendas animi perturbationes, quae pulcherrimum illum virtutis et honestatis concentum turbare solent. Hae primariae erant illorum sensuum causae. Ut autem id quod deus voluit assequeremur, accederet necesse erat externa sensuum institutio. Praeclare igitur iam Plato quae ratio inter finalem et materialem causam intercederet constituit, atque magnus philosophiae progressus agnoscendus est, Platonis et Aristotelis doctrinam si comparamus

---

[1]) De part. an. I, 1. 642 a 31: *δεικτέον δ' οὕτως, οἷον ὅτι ἔστι μὲν ἡ ἀναπνοὴ τουδὶ χάριν, τοῦτο δὲ γίγνεται διὰ τάδε ἐξ ἀνάγκης. ἡ δ' ἀνάγκη ὁτὲ μὲν σημαίνει ὅτι εἰ ἐκεῖνο ἔσται τὸ οὗ ἕνεκα, ταῦτα ἀνάγκη ἐστὶν ἔχειν, ὁτὲ δ' ὅτι ἔστιν οὕτως ἔχοντα καὶ πεφυκότα. τὸ θερμὸν γὰρ ἀναγκαῖον ἐξιέναι καὶ πάλιν εἰσιέναι ἀντικροῦον, τὸν δ' ἀέρα εἰσρεῖν. τοῦτο δ' ἤδη ἀναγκαῖόν ἐστιν. τοῦ ἐντὸς δὲ θερμοῦ ἀντικόπτοντος ἐν τῇ ψύξει τοῦ θύραθεν ἀέρος ἡ εἴσοδος καὶ ἡ ἔξοδος.*

[2]) Phaedon. 99 B.: *τὸ γὰρ μὴ διελέσθαι οἷόν τ' εἶναι, ὅτι ἄλλο μέν τί ἐστι τὸ αἴτιον τῷ ὄντι, ἄλλο δ' ἐκεῖνο, ἄνευ οὗ τὸ αἴτιον οὐκ ἄν ποτ' εἴη αἴτιον.* Tim. 46 C.: *ταῦτ' οὖν πάντ' ἔστι τῶν ξυναιτίων, οἷς θεὸς ὑπηρετοῦσι χρῆται τὴν τοῦ ἀρίστου κατὰ τὸ δυνατὸν ἰδέαν ἀποτελῶν· δοξάζεται δὲ ὑπὸ τῶν πλείστων οὐ ξυναίτια ἀλλ' αἴτια εἶναι τῶν πάντων ψύχοντα καὶ θερμαίνοντα, πηγνύντα τε καὶ διαχέοντα καὶ ὅσα τοιαῦτα ἀπεργαζόμενα, λόγον δὲ οὐδένα οὐδὲ νοῦν εἰς οὐδὲν δυνατὰ ἔχειν ἐστί.* (Hac enim interpungendi ratione inde a verbis *δοξάζεται δὲ ὑπὸ τῶν πλείστων* utendum est, cum huius enunciati non *ταῦτα*, sed participia sint subiectum).

cum Anaxagora. Is enim et ipse mentem rerum principium esse voluerat, attamen in singulis rebus explicandis ipse a se desciverat. Nam principem locum in iis tribuerat causis caecis ac mechanicis, atque si cuius rei naturam ex his intellegere non potuerat, tum demum in auxilium vocaverat mentem [1]).

Sed iam nobis redeundum est ad Aristotelem. Vidimus autem primariam ei esse causam finalem ex eaque necessitatem esse aptam. At non omnia alicuius rei causa aut necessario eveniunt, immo sunt, quae casu ac fortuito fiant. Quocirca quae ratio casui et forti cum causa finali esse Aristoteli videatur, iam nobis considerandum est. Ubi quid eorum, ait, quae per causam effici solent finalem, accidit, cum consilio petitum non sit, id fieri dicimus casu et fortuito; sive ubi aliquid quod finis esse potest aut debet fit per accidens, h. e. dum aliud quid appetitur, ipsum minus, id oritur casu ac fortuito [2]). Quod ut apertius sit, utamur exemplo. Venit

---

[1]) Met. A, 4. 985 a 18: *Ἀναξαγόρας τε γὰρ μηχανῇ χρῆται τῷ νῷ πρὸς τὴν κοσμοποιίαν, καὶ ὅταν ἀπορήσῃ διὰ τίν' αἰτίαν ἐξ ἀνάγκης ἐστί, τότε παρέλκει αὐτόν, ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις πάντα μᾶλλον αἰτιᾶται τῶν γιγνομένων ἢ νοῦν.* Plat. Phaedon. 98B: *ἀπὸ δὴ θαυμαστῆς, ὦ ἑταῖρε, ἐλπίδος ᾠχόμην φερόμενος, ἐπειδὴ προϊὸν καὶ ἀναγιγνώσκων ὁρῶ ἄνδρα τῷ μὲν νῷ οὐδὲν χρώμενον, οὐδέ τινας αἰτίας ἐπαιτιώμενον εἰς τὸ διακοσμεῖν τὰ πράγματα, ἀέρας δὲ καὶ αἰθέρας καὶ ὕδατα αἰτιώμενον καὶ ἄλλα πολλὰ καὶ ἄτοπα. καί μοι ἔδοξεν ὁμοιότατον πεπονθέναι, ὥσπερ ἂν εἴ τις λέγων, ὅτι Σωκράτης πάντα, ὅσα πράττει, νῷ πράττει, κἄπειτα ἐπιχειρήσας λέγειν τὰς αἰτίας ἑκάστων ὧν πράττω, λέγοι πρῶτον μέν, ὅτι διὰ ταῦτα νῦν ἐνθάδε κάθημαι, ὅτι ξύγκειταί μου τὸ σῶμα ἐξ ὀστῶν καὶ νεύρων, καὶ τὰ μὲν ὀστᾶ ἐστὶ στερεὰ καὶ διαφυὰς ἔχει χωρὶς ἀπ' ἀλλήλων, τὰ δὲ νεῦρα οἷα ἐπιτείνεσθαι καὶ ἀνίεσθαι, περιαμπέχοντα τὰ ὀστᾶ μετὰ τῶν σαρκῶν καὶ δέρματος, ὃ ξυνέχει αὐτά· αἰωρουμένων οὖν τῶν ὀστῶν ἐν ταῖς αὐτῶν ξυμβολαῖς χαλῶντα καὶ ξυντείνοντα τὰ νεῦρα κάμπτεσθαί που ποιεῖ οἷόν τ' εἶναι ἐμὲ νῦν τὰ μέλη, καὶ διὰ ταύτην αἰτίαν ξυγκαμφθεὶς ἐνθάδε κάθημαι.* Legg. XII, 967 A sqq.

[2]) Phys. II, 5. 196 b 21: *ἔστι δ' ἕνεκά του ὅσα τε ἀπὸ διανοίας ἂν πραχθείη καὶ ὅσα ἀπὸ φύσεως. τὰ δὴ τοιαῦτα ὅταν κατὰ συμβεβηκὸς γένηται, ἀπὸ τύχης φαμὲν εἶναι.* 197 a 32: *ἔστι μὲν οὖν ἄμφω αἴτια, καθάπερ εἴρηται, κατὰ συμβεβηκός, καὶ ἡ τύχη καὶ τὸ αὐτόματον, ἐν τοῖς ἐνδεχομένοις γίγνεσθαι μὴ ἁπλῶς μηδ' ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, καὶ τούτων ὅσ' ἂν γένοιτο ἕνεκά του.*

aliquis atque accepit symbolam. Minime vero ea de causa accessit, sed ut quem viseret. Attamen venisset, ut pecuniam acciperet, si id sciisset. Nunc ob aliam causam accessit, atque ut symbolam acciperet, una evenit, idque cum illum locum frequentare non soleret neque tum ut illuc iret cogeretur [1]).

Itaque casus et fors sunt causae per accidens eorum quae ob aliquem finem fieri solent. Causa autem quae est per accidens, eadem indefinita sit necesse est. Etenim semper aliquid eorum quae aut natura sunt aut a meditatione proficiscuntur, efficit id quod fit casu ac fortuito. Aliena igitur casus nititur causa, quibus autem niti potest, eorum numerus immensus est nec ullis finibus circumscriptus. Veluti ille qui symbolam accepit, ut illum locum peteret adigi potuit eo quod aliquem visere volebat, vel quod fugiebat vel quod persequebatur aliquem [2]).

Videmus igitur philosophum casus notionem definire atque constituere secundum causam finalem, id quod optime in doctrinam Aristoteleam convenit. Attamen casum et fortem describit ita, ut simul multitudinis et paucitatis ratio habenda sit. Itaque apparet casus notionem non tantum in ipsa rei natura positam esse, verum etiam aliquatenus ex hominum cogitatione pendere.

Differunt autem casus et fors ita inter se, ut casus ambitus sit amplioris. Quaecunque enim fortuita sunt, eadem sunt casu, contra non omnia quae casu accidunt, eadem fieri possunt dici fortuito. Nam fors non est nisi eorum quae agere possunt atque utuntur arbitrio. Itaque fors in homines solos cadit [3]). Contra casus notio in reliqua quoque animalia

---

[1]) L. l. 196 b 34.

[2]) Phys. II, 5. 197 a 8: *ἀόριστα μὲν οὖν τὰ αἴτια ἀνάγκη εἶναι, ἀφ᾽ ὧν ἂν γένοιτο τὸ ἀπὸ τύχης.* 6. 198 a 2: *τὸν δὲ τρόπον τῆς αἰτίας ἐν τοῖς ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως ἑκάτερον αὐτῶν· ἢ γὰρ τῶν φύσει τι ἢ τῶν ἀπὸ διανοίας αἴτιον ἀεί ἐστιν· ἀλλὰ τούτων τὸ πλῆθος ἀόριστον.* De quo loco vid. excurs. III.

[3]) Phys. II, 6. 197 b 5: *ὥσθ᾽ ὁπόσοις μὴ ἐνδέχεται πρᾶξαι, οὐδὲ*

convenit atque etiam in ea quae animata non sunt. Veluti dicimus equum casu venisse, propterea quod servatus est, cum veniret, non autem ob eam causam venit, atque tripodem concidisse casu, quod adstabat quidem, ut quis in eo consideret, non autem ob eam causam concidit[1]).

Restat ut inquiramus, qui fiat, ut nonnulla casu perinde atque per artem efficiantur et in naturalibus quoque rebus casus cernatur. Minime vero res omnes quae efficiuntur per artem etiam casu possunt fieri, pariterque rerum naturalium aliae oriuntur casu, aliae minus[2]). Cuius rei causam Aristoteles e materia repetit[3]), ubi materiam non intellegit eam quae prorsus indefinita sit, sed potius eam quae cum ab una parte definita sit, veluti lapides et ligna, ab altera qualitates possit recipere. Ea autem aut ipsa se movere potest aut causam moventem requirit a se diversam. Quam quae requirit, ea nihil prorsus per se potest efficere. Neque satis est ipsam se movere posse materiam, sed necesse est moveatur motu eo qui rei efficiendae sit idoneus. Sic lapides ipsi se movere possunt, veluti sponte decidunt, tamen non ita, ut domus exsistat. Quam ob rem aedificium casu exsistere nequit, sed semper ut efficiatur opus est arte[4]). Sed hoc quoque fieri

---

τὸ ἀπὸ τύχης τι ποιῆσαι. καὶ διὰ τοῦτο οὔτε ἄψυχον οὐδὲν οὔτε θηρίον οὔτε παιδίον οὐδὲν ποιεῖ ἀπὸ τύχης, ὅτι οὐκ ἔχει προαίρεσιν.

[1]) L. l. 197 b 13: τὸ δ' αὐτόματον καὶ τοῖς ἄλλοις ζῴοις καὶ πολλοῖς τῶν ἀψύχων, οἷον ὁ ἵππος αὐτόματος, φαμέν, ἦλθεν, ὅτι ἐσώθη μὲν ἐλθών, οὐ τοῦ σωθῆναι δὲ ἕνεκα ἦλθεν. καὶ ὁ τρίπους αὐτόματος κατέπεσεν. ἔστη μὲν γὰρ τοῦ καθῆσθαι ἕνεκα, ἀλλ' οὐ τοῦ καθῆσθαι ἕνεκα κατέπεσεν. ὥστε φανερὸν ὅτι ἐν τοῖς ἁπλῶς ἕνεκά του γινομένοις ὅταν μὴ τοῦ συμβάντος ἕνεκα γένηται οὗ ἔξω τὸ αἴτιον, τότε ἀπὸ ταὐτομάτου λέγομεν· ἀπὸ τύχης δέ, τούτων ὅσα ἀπὸ ταὐτομάτου γίνεται τῶν προαιρετῶν τοῖς ἔχουσι προαίρεσιν.

[2]) Met. Z, 9. in.: Ἀπορήσειε δ' ἄν τις διὰ τί τὰ μὲν γίγνεται καὶ τέχνῃ καὶ ἀπὸ ταὐτομάτου, οἷον ὑγίεια, τὰ δ' οὔ, οἷον οἰκία. An post. II, 11. 95 a 3: ἐν δὲ τοῖς ἀπὸ διανοίας τὰ μὲν οὐδέποτε ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου ὑπάρχει, οἷον οἰκία ἢ ἀνδριάς, οὐδ' ἐξ ἀνάγκης, ἀλλ' ἕνεκά του, τὰ δὲ καὶ ἀπὸ τύχης, οἷον ὑγίεια καὶ σωτηρία.

[3]) Met. Z, 9. 1034 a 10 sqq.

[4]) L. l. 1034 a 14: πολλὰ γὰρ δύναται μὲν ὑφ' αὑτῶν κινεῖσθαι ἀλλ' οὐχ ὡδί, οἷον ὀρχήσασθαι.

potest, ut materia ipsa se moveat ita, ut exsistat idem quod etiam arte efficitur. Veluti corpus humanum, si aegrotat, casu potest ita moveri, ut calor oriatur, quo iusta corporis temperies efficitur, ita ut restituatur bona valetudo. Hic igitur motio quae casu exstitit est eadem qua alias utitur medicus. Ubicunque autem id fieri potest, casu nonnunquam fit idem quod ars efficere solet. Neque minus id in rebus reperitur naturalibus, ubi casu nascuntur res, quarum materia est ea, ut ipsa se movere possit motu quo movet semen. Ubi autem id fieri nequit, eae naturae non oriuntur nisi ex aliis quae generis sunt eiusdem [1]). Sed hinc petere quis possit argumentum contra Aristotelem et quaerere, cum eiusmodi vis in materia insit, quid, quominus ab initio rerum omnes naturas mera materiae vi procreatas esse sumamus, impediat. Profecto enim satis non est dicere, casu res naturales exsistere posse eas in quarum materia insit ea vis, ut eodem quo semen motu ipsa se moveat, sed id ipsum certis finibus circumscribendum est, ut ratio ab omnibus partibus constet.

Videmus autem, quamvis casus agnoscendus sit, tamen primariam esse causam finalem, cum haec quidem causa sit per se, per accidens ille [2]). Contra saepe desideratur finis atque adest id quod ei est contrarium, h. e. adest privatio. De hac igitur iam nobis est disserendum.

Physicorum libri primi inde a capite quarto Aristoteles demonstrare studet, contraria esse rerum causas accedente materia [3]). Itaque tria principia statuenda sunt, quorum unum

---

[1]) L. l. 1034 b 4: *ὅσα δὲ ἀπὸ ταὐτομάτου ὥσπερ ἐκεῖ γίγνεται, ὅσων ἡ ὕλη δύναται καὶ ὑφ' αὑτῆς κινεῖσθαι ταύτην τὴν κίνησιν ἣν τὸ σπέρμα κινεῖ. ὅσων δὲ μή, ταῦτα ἀδύνατα ἄλλως πως ἢ ἐξ αὐτῶν.*

[2]) Phys. II, 6. 198 a 5: *ἐπεὶ δ' ἐστὶ τὸ αὐτόματον καὶ ἡ τύχη αἴτια ὧν ἂν ἢ νοῦς γένοιτο αἴτιος ἢ φύσις, ὅταν κατὰ συμβεβηκὸς αἴτιόν τι γένηται τούτων αὐτῶν, οὐδὲν δὲ κατὰ συμβεβηκός ἐστι πρότερον τῶν καθ' αὑτό, δῆλον ὅτι οὐδὲ τὸ κατὰ συμβεβηκὸς αἴτιον πρότερον τοῦ καθ' αὑτό. ὕστερον ἄρα τὸ αὐτόματον καὶ ἡ τύχη καὶ νοῦ καὶ φύσεως· ὥστ' εἰ ὅτι μάλιστα τοῦ οὐρανοῦ αἴτιον τὸ αὐτόματον, ἀνάγκη πρότερον νοῦν καὶ φύσιν αἰτίαν εἶναι καὶ ἄλλων πολλῶν καὶ τοῦδε παντός.*

[3]) L. l. I, 5. 188 b 21: *εἰ τοίνυν τοῦτ' ἐστὶν ἀληθές, ἅπαν ἂν γίγνοιτο τὸ γιγνόμενον καὶ φθείροιτο τὸ φθειρόμενον ἢ ἐξ ἐναντίων ἢ εἰς ἐναντία*

est materia sive substratum, alterum rei forma et notio, tertium id quod illi est contrarium, h. e. privatio [1]). Unumquidque igitur fit e substrato quod forma recipienda caret. Quo efficitur, ut status et conditio substrati, priusquam formam accipit, statui qui forma accepta sequitur contraria esse soleat, atque privatio, certe quae plena ac perfecta est, opposita sit formae. Nam ubi ordo non est, confusio est ac perturbatio, ubi lux deest, adsunt tenebrae, litteratus qui non est, is est illitteratus [2]) Apparet autem privationem non cognosci, nisi rationem habeas formae ei oppositae, neque per se consistere, sed semper cerni in substrato. Itaque substratum ex quo quid fit, duplicis quodammodo est naturae. Nam una in eo inest privatio, veluti homo litteratus fit ex homine qui est illitteratus [3]). Quam ob causam reprehendit Platonem et qui eum sequuntur, quod duplicem hanc substrati naturam non distinxerint [4]). Intellexisse quidem ait illos opus esse substrato

---

καὶ τὰ τούτων μεταξύ. τὰ δὲ μεταξὺ ἐκ τῶν ἐναντίων ἐστίν, οἷον χρώματα ἐκ λευκοῦ καὶ μέλανος· ὥστε πάντ᾽ ἂν εἴη τὰ φύσει γινόμενα ἢ ἐναντία ἢ ἐξ ἐναντίων.

[1]) L. l. I, 7. 1091 a 12: *μία μὲν οὖν ἀρχὴ αὕτη* (scil. *ἡ ὑποκειμένη φύσις* sive *ἡ ὕλη*), *οὐχ οὕτω μία οὖσα οὐδὲ οὕτως ἕν* (*οὕτως ὄν* scribendum est. Cf. Torstrik. Philol. XII, p. 520. Bonitz. Aristot. Stud. p. 189) *ὡς τὸ τόδε τι, μία δὲ ᾗ ὁ λόγος* (optime Bonitz. l. l. p. 191: *μία δὲ τὸ εἶδος ἢ ὁ λόγος*), *ἔτι δὲ τὸ ἐναντίον τούτῳ ἡ στέρησις.*

[2]) Met. Θ, 2. 1046 b 14: *ἡ γὰρ στέρησις ἡ πρώτη τὸ ἐναντίον, αὕτη δ᾽ ἀποφορὰ θατέρου.* I, 4. 1055 a 34: *πρώτη δὲ ἐναντίωσις ἕξις καὶ στέρησίς ἐστιν· οὐ πᾶσα δὲ στέρησις (πολλαχῶς γὰρ λέγεται ἡ στέρησις), ἀλλ᾽ ἥτις ἂν τελεία ᾖ.*

[3]) Phys. I, 7. 190 a 14: (*τοῦτο ἔστι λαβεῖν*), *ὅτι δεῖ τι ἀεὶ ὑποκεῖσθαι τὸ γινόμενον, καὶ τοῦτο εἰ καὶ ἀριθμῷ ἐστὶν ἕν, ἀλλ᾽ εἴδει γε οὐχ ἕν· τὸ γὰρ εἴδει λέγω καὶ λόγῳ ταὐτόν· οὐ γὰρ ταὐτὸν τὸ ἀνθρώπῳ καὶ τὸ ἀμούσῳ εἶναι.* 191 a 1: *ἕτερον γὰρ τῷ ἀνθρώπῳ καὶ τῷ ἀμούσῳ τὸ εἶναι, καὶ τὸ ἀσχηματίστῳ καὶ χαλκῷ.* Pro quibus sequimur Bonitzium l. l. p. 188 scribi iubentem: *ἕτερον γὰρ τὸ ἀνθρώπῳ καὶ τὸ ἀμούσῳ εἶναι, καὶ τὸ ἀσχηματίστῳ καὶ χαλκῷ.*

[4]) L. l. I, 9. 192 a 1: *εἶτα φαίνεται αὐτοῖς, εἴπερ ἐστὶν ἀριθμῷ μία, καὶ δυνάμει μία μόνον εἶναι. τοῦτο δὲ διαφέρει πλεῖστον.* Quae Prantlius interpretatur: „Ferner glauben sie, dass, weil jenes Substanzielle der Zahl nach Eines ist, es auch der Potenz nach Eines sei; darin aber liegt ein grosser Unterschied.“ Sed hic potentiae et actus discrimen locum omnino

eique partes tribuisse causae secundariae, neglexisse autem alteram eius naturam, privationem. Id enim quod remaneat et non intereat causam secundariam esse rerum quae oriantur, matris instar [1]), contra alteram oppositionis partem, privationem, si quis ad malam eius vim et efficacitatem animum advertat, apparituram esse formam prorsus non adiuvare [2]).

Quidquid igitur oritur, fit e privatione. Haec autem perit, ubi res oritur, contra manet materia. Nam privatio per se non est, sed est mera formae negatio, quae cernitur in materia, ubi haec formam nondum recepit. Itaque non per se quidquam oritur e privatione, sed per accidens, cum fiat e substrato, in quo est privatio [3]).

Sed est etiam privatio, quae duret atque sit formae instar [4]). Cuius generis est morbus corporis, tenebrae noctis,

---

non habet, immo *δυνάμει* hic significat idem quod *εἴδει* in loco paullo supra allato: *καὶ τοῦτο εἰ καὶ ἀριθμῷ ἐστὶν ἕν, ἀλλ' εἴδει γε οὐχ ἕν.*

[1]) Platon. Tim. 50 D. Tim. Locr. 94 B.

[2]) Phys. I, 9. 192 a 9: *μέχρι μὲν γὰρ δεῦρο προῆλθον, ὅτι δεῖ τινὰ ὑποκεῖσθαι φύσιν, ταύτην μέντοι μίαν ποιοῦσιν· καὶ γὰρ εἴ τις δυάδα ποιεῖ, λέγων μέγα καὶ μικρὸν αὐτήν, οὐθὲν ἧττον ταὐτὸ ποιεῖ· τὴν γὰρ ἑτέραν παρεῖδεν. ἡ μὲν γὰρ ὑπομένουσα συναιτία τῇ μορφῇ τῶν γινομένων ἐστίν, ὥσπερ μήτηρ· ἡ δ' ἑτέρα μοῖρα τῆς ἐναντιώσεως πολλάκις ἂν φαντασθείη τῷ πρὸς τὸ κακοποιὸν αὐτῆς ἀτενίζοντι τὴν διάνοιαν οὐδ' εἶναι τὸ παράπαν*, scil. *συναιτία τῇ μορφῇ τῶν γινομένων.* Quibus verbis aliam atque nos sententiam subicit Prantlius, cum interpretetur. „Nämlich jenes Substanzielle, welches bestehen bleibt, ist allerdings Mitursache für die Gestaltung des Entstehenden, gleichsam wie eine Mutter, aber die andere Seite des Gegensatzpaares möchte demjenigen, welcher auf die böse Wirkung derselben scharf das Augenmerk richtet, oft eher gar nicht zu existiren scheinen.“ Sed num inde quod aliquid vi utitur mala ac perniciosa, id omnino non esse colligi potest?

[3]) L. l. I, 8. 191 b 13: *ἡμεῖς δὲ καὶ αὐτοί φαμεν γίγνεσθαι μὲν οὐδὲν ἁπλῶς ἐκ μὴ ὄντος, ὅμως μέντοι γίγνεσθαι ἐκ μὴ ὄντος, οἷον κατὰ συμβεβηκός· ἐκ γὰρ τῆς στερήσεως, ὅ ἐστι καθ' αὑτὸ μὴ ὄν, οὐκ ἐνυπάρχοντος γίγνεταί τι*, h. e. e privatione enim, quae per se est non ens, oritur aliquid, cum illa in eo non insit. I, 7. 190 a 9: *τῶν δὲ γιγνομένων ὡς τὰ ἁπλᾶ λέγομεν γίγνεσθαι, τὸ μὲν ὑπομένον γίγνεται τὸ δ' οὐχ ὑπομένον. ὁ μὲν γὰρ ἄνθρωπος ὑπομένει μουσικὸς γιγνόμενος ἄνθρωπος καὶ ἔστι, τὸ δὲ μὴ μουσικὸν καὶ τὸ ἄμουσον οὔτε ἁπλῶς οὔτε συντιθέμενον ὑπομένει.*

[4]) L. l. II, 1. 193 b 18: *ἡ δέ γε μορφὴ καὶ ἡ φύσις διχῶς λέγεται. καὶ γὰρ ἡ στέρησις εἶδός πώς ἐστιν.*

animi pravitas improbitasque. Itaque privatio habenda est in numero principiorum [1]). Attamen accurate si rem spectamus, ita non est, sed forma est principium quod efficit contraria; nam ubi adest, talem constituit rei conditionem, ubi abest, eam quae illi sit contraria, pariter atque gubernator praesens causa fuit navis servatae, eversae absens [2]).

Apparet igitur Aristotelem non secum dissentire, quod Met. A, 3. 983 a 24seqq. causas esse statuit: formam, materiam, causam moventem, finem; Phys. I, 7. 191 a 12: substratum, formam, privationem; Met. *Λ*, 4. 1070 b 25seqq.: formam, privationem, materiam, causam moventem. Nam hae singulae causarum series omnes ad eandem formae et materiae oppositionem redeunt [3]).

At satis non est dicere morbum esse privationem sanitatis, tenebras lucis, virtutis turpitudinem; immo quaerendum est, quid ut forma absit effecerit. Quod ut intellegamus, paullo altius repetendum est. Distinguit autem Aristoteles duo potentiarum sive virium genera: potentias irrationales et rationales [4]), quarum priores singulae quaeque unum quidpiam efficiunt, veluti potentia calefaciendi calorem neque

---

[1]) Met. *Λ*, 4. 1070 b 16: *τούτων μὲν οὖν ταῦτα στοιχεῖα καὶ ἀρχαί, ἄλλων δ' ἄλλα, πάντων δὲ οὕτω μὲν εἰπεῖν οὐκ ἔστιν, τῷ ἀνάλογον δέ, ὥσπερ εἴ τις εἴποι ὅτι ἀρχαί εἰσι τρεῖς, τὸ εἶδος καὶ ἡ στέρησις καὶ ἡ ὕλη.*

[2]) Phys. I, 7. 191 a 4: *καὶ δῆλόν ἐστιν ὅτι δεῖ ὑποκεῖσθαί τι τοῖς ἐναντίοις καὶ τἀναντία δύο εἶναι. τρόπον δέ τινα ἄλλον οὐκ ἀναγκαῖον· ἱκανὸν γὰρ ἔσται τὸ ἕτερον τῶν ἐναντίων ποιεῖν τῇ ἀπουσίᾳ καὶ παρουσίᾳ τὴν μεταβολήν.* Met. Θ, 2. 1046 b 14: *ἡ γὰρ στέρησις ἡ πρώτη τὸ ἐναντίον, αὕτη δ' ἀποφορὰ θατέρου.* Z, 7. 1032 b 2: *καὶ γὰρ τῶν ἐναντίων τρόπον τινὰ τὸ αὐτὸ εἶδος· τῆς γὰρ στερήσεως οὐσία ἡ οὐσία ἡ ἀντικειμένη, οἷον ὑγίεια νόσου, ἐκείνης γὰρ ἀπουσίᾳ δηλοῦται ἡ νόσος.* Phys. II, 3. 195 a 11: *ἔτι δὲ τὸ αὐτὸ τῶν ἐναντίων ἐστὶν αἴτιον· ὃ γὰρ παρὸν αἴτιον τοῦδε, τοῦτο καὶ ἀπὸν αἰτιώμεθα ἐνίοτε τοῦ ἐναντίου, οἷον τὴν ἀπουσίαν τοῦ κυβερνήτου τῆς τοῦ πλοίου ἀνατροπῆς, οὗ ἦν ἡ παρουσία αἰτία τῆς σωτηρίας*, coll. Met. *Δ*, 2. 1013 b 11. Phys. VII, 3. 246 a 12: *οὐκ ἔστι δὲ οὔτε ἡ ἀρετὴ οὔτε ἡ κακία ἀλλοίωσις, ἀλλ' ἡ μὲν ἀρετὴ τελείωσίς τις, ... ἡ δὲ κακία φθορὰ τούτου καὶ ἔκστασις.*

[3]) Cf. Bonitz. Metaph. comment. p. 482.

[4]) Met. Θ, 2. 5.

eadem frigus, contra rationales potentiae efficere possunt contraria[1]). Ubi autem potentia irrationalis activa et passiva, quatenus sunt potentiae, inter se propinquant, necesse est altera operetur, patiatur altera[2]). Sed fieri potest, ut effectus potentiae activae aliena causa tollatur aut certe imminuatur. Veluti luna lucem fundit, attamen luna deficit, cum terra ei obstruat[3]). Pariter suppetebat iusta corporis temperies atque per eam bona valetudo, sed turbata est tempestatum iniuriis, ita ut nasceretur morbus. Apparet igitur privationem exsistere, ubicunque efficientia potentiae activae aliena vi perturbetur aut tollatur. Sed hoc quoque accidere potest, ut potentiae activae resistat id ad quod actio spectat. Sic in rebus naturalibus, quominus forma plene et absolute efficiatur, saepe impedit materia. Etenim cum forma sive finis, ut re exsistat, egeat materia atque haec sua ipsius natura utatur, evenit, ut forma aut prorsus non perficiatur aut male. Quod fit, cum id quod operatur simul patiatur ab eo quod est actionis obiectum[4]). Atque adeo accidit, ut id quod agit plus patiatur quam efficiat[5]). Ex qua materiae vi et repugnantia philosophus originem repetit portentorum et partuum monstrosorum[6]).

---

[1]) L. l. Θ, 2. 1046 b 4: *καὶ αἱ μὲν μετὰ λόγου πᾶσαι τῶν ἐναντίων αἱ αὐταί, αἱ δ' ἄλογοι μία ἑνός, οἷον τὸ θερμὸν τοῦ θερμαίνειν μόνον, ἡ δὲ ἰατρικὴ νόσου καὶ ὑγιείας.* 1046 b 18: *τὸ μὲν ὑγιεινὸν ὑγίειαν μόνον ποιεῖ καὶ τὸ θερμαντικὸν θερμότητα καὶ τὸ ψυκτικὸν ψυχρότητα, ὁ δ' ἐπιστήμων ἄμφω.*

[2]) L. l. 5. 1048 a 5: *τὰς μὲν τοιαύτας δυνάμεις* (intell. *τὰς ἀλόγους*) *ἀνάγκη, ὅταν ὡς δύνανται τὸ ποιητικὸν καὶ τὸ παθητικὸν πλησιάζωσι, τὸ μὲν ποιεῖν τὸ δὲ πάσχειν, ἐκείνας δ' οὐκ ἀνάγκη.*

[3]) An. post. 8. 93 a 23 sqq.

[4]) De gen. an. IV, 3. 768 b 15: *αἴτιον δὲ τοῦ μὲν λύεσθαι τὰς κινήσεις ὅτι τὸ ποιοῦν καὶ πάσχει ὑπὸ τοῦ πάσχοντος, οἷον τὸ τέμνον ἀμβλύνεται ὑπὸ τοῦ τεμνομένου καὶ τὸ θερμαῖνον ψύχεται ὑπὸ τοῦ θερμαινομένου, καὶ ὅλως τὸ κινοῦν ἔξω τοῦ πρώτου ἀντικινεῖταί τινα κίνησιν, οἷον τὸ ὠθοῦν ἀντωθεῖταί πως καὶ ἀντιθλίβεται τὸ θλῖβον.*

[5]) L. l. 768 b 20: *ἐνίοτε δὲ καὶ ὅλως ἔπαθε μᾶλλον ἢ ἐποίησεν, καὶ ἐψύχθη μὲν τὸ θερμαῖνον, ἐθερμάνθη δὲ τὸ ψῦχον, ὁτὲ μὲν οὐθὲν ποιῆσαν, ὁτὲ δὲ ἧττον ἢ παθόν.*

[6]) L. l. 769 b 7: . . . . *ἔτι δὲ διὰ τίν' αἰτίαν ὁτὲ μὲν ἄνθρωπος μὲν*

Sic saepe natura impeditur atque res male procreat, cum obsistat materia. Semper quidem natura finem sibi proponit atque bonum quid efficere studet, sed saepe eo excidit pariter atque ars ea quae vult nonnumquam assequi non valet[1]). Quamquam in artis operibus causa finis ad effectum non adducti sita esse potest et in artificis inscitia et in materia, contra in rebus naturalibus eam tribuere non licet nisi materiae. Videmus igitur Aristoteli quoque materiam aliqua ex parte esse causam mali. Neque id repugnat iis quae supra de materiae apud Aristotelem natura disputavimus. Ibi enim descripsimus materiam primariam, quae prorsus indefinita est; contra ea quae naturae operanti suppetit, iam aliquatenus definita est, nam aut aer est aut ignis aut aqua aut terra. Ea autem materia certis qualitatibus et sua utitur vi nec semper naturae promptam et paratam ad formandum ac fingendum se praebet.

Sed iam progrediamur ad potentias considerandas rationales. Hae quidem efficere possunt contraria. Nam pendent e scientia, quae contrariorum est eadem[2]). Per se quidem spectat ad formam atque notionem, contra ad privationem formae oppositam per accidens, quia una cum notionis affirmatione continet negationem. Notio autem est in anima, quae utitur principio motionis, quocirca anima ab eadem notione

---

τούτων δὲ οὐθενὶ προσόμοιος, ὁτὲ δὲ προϊὸν οὕτως τέλος οὐδὲ ἄνθρωπος ἀλλὰ ζῷόν τι μόνον φαίνεται τὸ γιγνόμενον, ἃ δὴ καὶ λέγεται τέρατα. καὶ γὰρ ἐχόμενον τῶν εἰρημένων ἐστὶν εἰπεῖν περὶ τῶν τοιούτων τὰς αἰτίας. τέλος γὰρ τῶν μὲν κινήσεων λυομένων, τῆς δ' ὕλης οὐ κρατουμένης, μένει τὸ καθόλου μάλιστα· τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ ζῷον. IV, 4. 770 b 15: *διὰ τὸ καὶ τὸ παρὰ φύσιν εἶναι τρόπον τινὰ κατὰ φύσιν, ὅταν μὴ κρατήσῃ τὴν κατὰ τὴν ὕλην ἡ κατὰ τὸ εἶδος φύσις.*

[1]) Phys. II, 8. 199 a 33: *ἁμαρτία δὲ γίγνεται καὶ ἐν τοῖς κατὰ τέχνην· ἔγραψε γὰρ οὐκ ὀρθῶς ὁ γραμματικός, καὶ ἐπότισεν οὐκ ὀρθῶς ὁ ἰατρὸς τὸ φάρμακον· ὥστε δῆλον ὅτι ἐνδέχεται καὶ ἐν τοῖς κατὰ φύσιν. εἰ δὴ ἔστιν ἔνια κατὰ τέχνην ἐν οἷς τὸ ὀρθῶς ἕνεκά του, ἐν δὲ τοῖς ἁμαρτανομένοις ἕνεκα μέν τινος ἐπιχειρεῖται ἀλλ' ἀποτυγχάνεται, ὁμοίως ἂν ἔχοι καὶ ἐν τοῖς φυσικοῖς, καὶ τὰ τέρατα ἁμαρτήματα ἐκείνου τοῦ ἕνεκά του.*

[2]) Met. K, 3. 1061 a 18: *ἐπεὶ δ' ἐστὶ τὰ ἐναντία πάντα τῆς αὐτῆς καὶ μιᾶς ἐπιστήμης θεωρῆσαι.* *Γ*, 2. 1004 a 9. An. pr. I, 36. 48 b 4. Eth. Nic. V, 1. 1129 a 13.

profecta efficere potest contraria, cum ea comprehendat uno [1]). Quo fit, ut utamur libero arbitrio. Itaque facere possumus et quae bona sunt et quae mala [2]). Verum cum homo ea quae contraria sunt una efficere non possit, utrum facturus sit, pendet ex alio quo. Aptum autem est ex appetitu [3]). Semper enim, ut quid agamus, opus est appetitu. Is vero aut se subicit rationi eique obtemperat, aut superat eam ac sequitur sua [4]). Potest quidem haec animae pars a ratione superari, sed saepe illam vincit. Itaque ad moralem hominum vitam quod attinet, privatio efficitur primum eo quod facultate utimur cogitandi contraria; hac enim nititur liberum arbitrium; maxime vero causa privationis appetitus est, qui saepe agat contra rationem. At hoc ipsum quaeritur, cur

---

[1]) Met. Θ, 2. 1046 b 8: *ὁ δὲ λόγος ὁ αὐτὸς δηλοῖ τὸ πρᾶγμα καὶ τὴν στέρησιν, πλὴν οὐχ ὡσαύτως, καὶ ἔστιν ὡς ἀμφοῖν, ἔστι δ' ὡς τοῦ ὑπάρχοντος μᾶλλον. ὥστ' ἀνάγκη καὶ τὰς τοιαύτας ἐπιστήμας εἶναι μὲν τῶν ἐναντίων, εἶναι δὲ τοῦ μὲν καθ' αὑτὰς τοῦ δὲ μὴ καθ' αὑτάς· καὶ γὰρ ὁ λόγος τοῦ μὲν καθ' αὑτό, τοῦ δὲ τρόπον τινὰ κατὰ συμβεβηκός· ἀποφάσει γὰρ καὶ ἀποφορᾷ δηλοῖ τὸ ἐναντίον. ἡ γὰρ στέρησις ἡ πρώτη τὸ ἐναντίον, αὕτη δ' ἀποφορὰ θατέρου· ἐπεὶ δὲ τὰ ἐναντία οὐκ ἐγγίγνεται ἐν τῷ αὐτῷ, ἡ δ' ἐπιστήμη δύναμις τῷ λόγον ἔχειν, καὶ ἡ ψυχὴ κινήσεως ἔχει ἀρχήν, τὸ μὲν ὑγιεινὸν ὑγίειαν μόνον ποιεῖ καὶ τὸ θερμαντικὸν θερμότητα καὶ τὸ ψυκτικὸν ψυχρότητα, ὁ δ' ἐπιστήμων ἄμφω. λόγος γάρ ἐστιν ἀμφοῖν μέν, οὐχ ὁμοίως δέ, καὶ ἐν ψυχῇ ἣ ἔχει κινήσεως ἀρχήν· ὥστε ἄμφω ἀπὸ τῆς αὐτῆς ἀρχῆς κινήσει πρὸς τὸ αὐτὸ συνάψασα.*

[2]) Eth. Nic. III, 7. 1113 b 6: *ἐφ' ἡμῖν δὲ καὶ ἡ ἀρετή, ὁμοίως δὲ καὶ ἡ κακία.*

[3]) Met. Θ, 5. 1048 a 8: *αὗται μὲν γὰρ πᾶσαι μία ἑνὸς ποιητική, ἐκεῖναι δὲ τῶν ἐναντίων, ὥστε ἅμα ποιήσει τἀναντία· τοῦτο δὲ ἀδύνατον. ἀνάγκη ἄρα ἕτερόν τι εἶναι τὸ κύριον· λέγω δὲ τοῦτο ὄρεξιν ἢ προαίρεσιν. ὁποτέρου γὰρ ἂν ὀρέγηται κυρίως, τοῦτο ποιήσει, ὅταν ὡς δύναται ὑπάρχῃ καὶ πλησιάζῃ τῷ παθητικῷ.*

[4]) De anim. III, 10. 433 a 22: *νῦν δὲ ὁ μὲν νοῦς οὐ φαίνεται κινῶν ἄνευ ὀρέξεως· ἡ γὰρ βούλησις ὄρεξις· ὅταν δὲ κατὰ τὸν λογισμὸν κινῆται καὶ κατὰ βούλησιν κινεῖται. ἡ δ' ὄρεξις κινεῖ παρὰ τὸν λογισμόν· ἡ γὰρ ἐπιθυμία ὄρεξίς τις ἐστίν. νοῦς μὲν οὖν πᾶς ὀρθός· ὄρεξις δὲ καὶ φαντασία καὶ ὀρθὴ καὶ οὐκ ὀρθή.* Eth. Nic. I, 13. 1102 b 16: *φαίνεται δ' ἐν αὐτοῖς καὶ ἄλλο τι παρὰ τὸν λόγον πεφυκός, ὃ μάχεταί τε καὶ ἀντιτείνει τῷ λόγῳ. ἀτεχνῶς γὰρ καθάπερ τὰ παραλελυμένα τοῦ σώματος μόρια εἰς τὰ δεξιὰ προαιρουμένων κινῆσαι τοὐναντίον εἰς τὰ ἀριστερὰ παραφέρεται, καὶ ἐπὶ τῆς ψυχῆς οὕτως· ἐπὶ τἀναντία γὰρ αἱ ὁρμαὶ τῶν ἀκρατῶν.*

homini potentia qua indita sit, quae rationi, parti hominis optimae ac praestantissimae, adversetur atque repugnet, quae quominus homo finem a natura propositum assequatur et possit impedire et saepissime impediat. Inquirendum est, cur naturae humanae discrepantia, quae a causa finali prorsus esse aliena videtur, sit admissa. Sed vix apud Aristotelem huius quaestionis reperies responsum.

Apparet autem ex iis quae de privatione disseruimus Aristotelem malorum principium per se consistens non agnovisse, sed tribuisse mala privationi eamque in rerum natura partim e materia eiusque viribus, partim e perturbationibus et impedimentis, quae exsisterent necessario, repetiisse, in morali autem hominum vita e libero arbitrio atque cupiditatibus homini a natura insitis [1]).

Atque etiam demonstrare studet malum quid per se et seorsum constare non posse [2]). „Melior," ait, „et praestantior actus est bona potentia. Nam quaecunque sunt potentia, ea evadere possunt contraria. Eadem enim est potentia sanitatis et morbi atque status et motus. Contra actus in alterutro contrariorum consistit, altero excluso, quam ob causam actus necessario aut bonus aut malus est [3]). Itaque bonus actus

---

[1]) Haec si vera sunt, ad privationem quod attinet lenius iudicandum est de Aristotele quam fecit Struempell. Theoret. Philos. d. Gr. p. 227 sq.

[2]) Met. Θ, 9. in.

[3]) Aristoteles hic respicit formam et privationem eam quae formae instar sit, atque actiones et conditiones quae iis respondeant, id quod apparet ex exemplis quae profert. Cf. 1051 a 7: *ὑγιαίνειν καὶ νοσεῖν*, a 8: *ὑγιαίνειν καὶ κάμνειν*, a 9: *ἠρεμεῖν καὶ κινεῖσθαι, οἰκοδομεῖν καὶ καταβάλλειν*, a 10: *οἰκοδομεῖσθαι καὶ καταπίπτειν*. Sed quamvis saepe ea quae inter se contraria sunt sint eiusmodi, ut alterum boni quid sit, mali quid alterum, tamen non omnia contraria boni et mali discrimini subicere licet, veluti hic in motum et statum hoc discrimen non convenit, cf. Bonitz. Metaph. comment. p. 406. Contra non assentimur Bonitzio, quod p. 407 dicit falso hic ab Aristotele iudicium morale de bono et malo immisceri rebus iis a quibus alienum sit. Nam bonum quod dicit Aristoteles non tantum ad mores spectat, verum etiam metaphysica, ut ita dicamus, utitur significatione, quia artissime cohaeret cum causa finali. Atque de huius generis bono hic cogitandum est.

melior est potentia, ut quae contrariorum sit eadem. Contra in malis rebus necesse est finem et actum deteriorem esse potentia, cum e potentia etiam bonum quid exsistere possit, actus autem rei malum habeat integrum. Apparet igitur malum non esse extra res, a 17: *δῆλον ἄρα ὅτι οὐκ ἔστι τὸ κακὸν παρὰ τὰ πράγματα*, h. e. malum seorsum ac per se non constare. Nam posterius natura malum est quam potentia, contra substantiae quae per se constant aeternae et necessariae illa sunt priores. Quapropter malum in iis esse non potest."

Omittamus quod iam supra contra hanc argumentationem monuimus atque examinemus extremam eius partem, utpote in qua omnia posita sint. Dicit igitur Aristoteles in rebus malis actum deteriorem esse potentia; apparere igitur malum non esse extra res, nam posterius natura malum esse quam potentiam. Quae ordinanda videntur esse in hunc modum: In rebus malis actus potentia deterior est. [Atqui quod deterius est, idem est posterius, cf. *Λ*, 7. 1072 a 35: *καὶ ἔστιν ἄριστον ἀεὶ ἢ ἀνάλογον τὸ πρῶτον*. Phys. VIII, 9. 265 a 22: *πρότερον δὲ καὶ φύσει καὶ λόγῳ καὶ χρόνῳ τὸ τέλειον μὲν τοῦ ἀτελοῦς, τοῦ φθαρτοῦ δὲ τὸ ἄφθαρτον*.] Ergo posterius malum est potentia atque ob eam causam per se consistere nequit.

Sententiam, quod deterius sit, idem esse posterius, inseruimus, cum quomodo argumentatio antea melioris et deterioris notionibus nixa deflectat ad posterius, alia ratione explicari posse non videatur. Iam num constet demonstratio, examinemus. Ac primum quidem huic argumentationi non nimis confidemus, cum proficiscatur a melioris et deterioris notionibus, quae primariam rerum naturam parum attingant. Deinde vidimus argumentationem inniti sententia, melius quod sit, idem esse prius. Sed haec sententia ipsa unde petita est? Profecto inde quod deus omnium primum est atque idem optimum. Sin autem inde quod deus omnium optimum sit idemque primum colligimus, quae priora sint eadem esse meliora et quae meliora eadem priora, tacite aliud quid ad-

dimus: deum primum esse solum nec esse iuxta eum principium mali. Itaque in sententia quae adsciscitur iam inest quod erat demonstrandum [1]).

Si respicimus quae proxime disputata sunt, mala quoque in hac rerum universitate inesse Aristoteles concedit [2]), originem autem eorum repetit e causa finali perturbata. Itaque principem locum tenet causa finalis. Qui vero finem summum rerum principium esse vult, idem prorsus necesse est statuat naturam esse providam, quae fines cogitaverit atque adduxerit ad effectum, h. e. necesse est auctorem mundi fabricati et conditi existimet esse deum. Tamen Aristoteles, ubi numen divinum agnoscendum esse demonstrare studet, non a causa finali proficiscitur, sed a motione. Quae quomodo inter se conveniant, paullo infra videbimus.

Met. *Λ*, 6. 1071 b 6 seqq. aeternum esse demonstrat atque continuum motum et tempus. Motus autem aeternus ut sit, opus est aliquo quod moveat, idque necesse est et ipsum aeternum sit et semper in actu versetur. Nam potentia quod est, potest etiam non operari. Itaque statuendum est principium, cuius substantia actus sit et careat materia. Nam quidquid cum materia coniunctum est, in eo inest potentia. Potentiale autem nihil est aeternum. Iam cum eadem semper sit omnium rerum vicissitudo, oportet poni aliquid quod perpetuo eodem modo agat, contra ut explicemus, qui possit esse generatio et interitus, sumendum alterum est quod et ipsum in actu perpetuo sit, sed varium usque in modum. Illud autem quod semper eodem motu movetur eoque orbiculari, primum caelum est, h. e. caelum quod stellas fixas continet. Cum vero nihil se movere possit ipsum, requiritur aliquid quod moveat, ita tamen, ut ipsum non moveatur; nam si moveretur, ab alio quo moveretur. Itaque statuendum est primum motorem esse immotum, eundemque aeternum, sub-

---

[1]) Bonitzius quoque hanc Aristotelis argumentationem impugnat, verum alia atque nos ratione. Cf. Met. comment. p. 407.

[2]) Met. A, 4. 984 b 32.

stantiam, actum. Hunc autem in modum movet id quod appetibile et quod cogitabile sive intellegibile est; quorum prima sunt eadem, *Λ*, 7. 1072 a 27: *τούτων τὰ πρῶτα τὰ αὐτά*, h. e. *τὸ πρῶτον ὀρεκτὸν καὶ τὸ πρῶτον νοητὸν τὸ αὐτό ἐστιν*, nos: „sie fallen zusammen.“ Cupiditas enim appetit id quod pulchrum esse videtur, contra voluntas, quod pulchrum est. Appetimus autem potius propterea quod videtur aliquid pulchrum esse, quam pulchrum illud videtur propterea quod appetimus. Nam principium est cogitatio. (Nihil enim appetere possumus, nisi quod antea cogitavimus). Intellectus autem excitatur eo quod intellegibile est; intellegibilis autem per se est altera series, (qua continentur ea quae per affirmationem definiuntur), atque huius prima substantia, atque huius ea quae simplex est et semper in actu versatur. Haec substantia est primum intellegibile. Sed etiam bonum et quod per se appetibile est eadem serie continetur, atque id quod primum est idem semper optimum est aut id quod ei respondeat. Itaque optimum est substantia simplex et semper actu consistens; cumque optimum sit, etiam appetibile per se est. Substantia igitur illa est primum intellegibile et primum appetibile, atque ob eam causam finis summus. Etenim finem in immobilibus esse intellegitur, ubi finis notionem distinguimus atque in genera sua dividimus. Duplex enim est *τὸ οὗ ἕνεκα*, quorum alterum est *τὸ οὗ*, alterum *τὸ ᾧ*. Et *τὸ οὗ* quidem, cum ipsum sit immobile, quominus in substantiis immobilibus reperiatur nihil impedit, contra *τὸ ᾧ*, utpote quod per mutationem sui ipsius ad illud accedat, in immobilibus esse nequit [1]).

Sed hic paulisper subsistendum est. Primum Aristoteles demonstrare studet, primam substantiam esse causam moventem, deinde, eandem esse finem summum, quam ob causam postquam primam substantiam movere cum ipsa non moveatur

---

[1]) *Λ*, 7. 1072 b 2: *ἔστι γάρ τινι τὸ οὗ ἕνεκα, ὧν τὸ μὲν ἔστι τὸ δ' οὐκ ἔστι*, cf. Bonitz. Met. comment. p. 499, Bernays. Die Dialoge d. Aristot. p. 169.

docuit, ab eo quod appetibilia et intellegibilia eodem modo moveant profectus eandem substantiam summum esse finem comprobat. Sed concedendum est, hunc locum non esse aptum, ubi substantiam illam mundi finem esse demonstretur. Nam nihil aliud adhuc Aristoteles docuit nisi motorem primum esse aeternum, immotum, substantiam, actum. Sin autem natura summae substantiae, quae eadem summus finis est, his solis utitur virtutibus, admodum exigua est et inops.

Proximis philosophus motum mutationemque omnem a substantia prima abesse efficere studet[1]. Quo facto subito conditionem eius describit talem, ut mentem esse appareat. Sed quomodo id fieri potest? Profectus erat Aristoteles in definienda primae substantiae natura a motu qui in hoc mundo inest, atque hunc ab illa manare demonstraverat. Iam ad mentem quomodo perducatur statuendam, facile est ad videndum. Motus enim constituit mundum omnesque quae eo continentur naturas. Boni autem et pulchri quod et in singulis rebus et in hac rerum universitate reperitur originem, si sequimur Aristotelem, tribuere non licet nisi substantiae providae ac praeditae mente[2]. Omnino constans Aristotelis fuisse sententia videtur, ordine ac pulchritudine mundi quin adigamur ad numen divinum agnoscendum nos facere non posse[3]. Itaque motio qua mundus conditus

---

[1]) L. l. 1072 b 4—13.

[2]) Met. A, 3. 984 b 11: *τοῦ γὰρ εὖ καὶ καλῶς τὰ μὲν ἔχειν τὰ δὲ γίγνεσθαι τῶν ὄντων ἴσως οὔτε πῦρ οὔτε γῆν οὔτ' ἄλλο τῶν τοιούτων οὐθὲν οὔτ' εἰκὸς αἴτιον εἶναι οὔτ' ἐκείνους οἰηθῆναι· οὐδ' αὖ τῷ αὐτομάτῳ καὶ τῇ τύχῃ τοσοῦτον ἐπιτρέψει πρᾶγμα καλῶς εἶχεν. νοῦν δή τις εἰπὼν εἶναι, καθάπερ ἐν τοῖς ζῴοις, καὶ ἐν τῇ φύσει τὸν αἴτιον τοῦ κόσμου καὶ τῆς τάξεως πάσης οἷον νήφων ἐφάνη παρ' εἰκῇ λέγοντας τοὺς πρότερον.* *Λ*, 10. in.: *Ἐπισκεπτέον δὲ καὶ ποτέρως ἔχει ἡ τοῦ ὅλου φύσις τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ ἄριστον, πότερον κεχωρισμένον τι καὶ αὐτὸ καθ' αὑτό, ἢ τὴν τάξιν; ἢ ἀμφοτέρως ὥσπερ στράτευμα. καὶ γὰρ ἐν τῇ τάξει τὸ εὖ καὶ ὁ στρατηγός, καὶ μᾶλλον οὗτος· οὐ γὰρ οὗτος διὰ τὴν τάξιν ἀλλ' ἐκείνη διὰ τοῦτόν ἐστιν.*

[3]) Sextus, adversus mathemat. IX, 20: *Ἀριστοτέλης δὲ ἀπὸ δυοῖν ἀρχῶν ἔννοιαν θεῶν ἔλεγε γεγονέναι ἐν τοῖς ἀνθρώποις, ἀπό τε τῶν περὶ*

est et servatur, caeca esse non potest, immo necesse est exoriatur a substantia sapienti ac plena rationis.

Itaque apparet argumentationem qua Aristoteles numen divinum agnoscendum esse demonstrare studet, quamquam a motu orditur, tamen causa inniti finali. Iam consideremus proxima, quibus philosophus quali vitae conditione prima substantia utatur describit[1]). „Vita autem est, qualis optima qua nos per breve temporis spatium fruimur. Nam semper illud sic se habet, (nobis enim hoc non contingit), cum etiam voluptas actus sit, b 16: *ἐπεὶ καὶ ἡδονὴ ἡ ἐνέργεια* [*τούτου*][2]), cf. Eth. Nic. VII, 15. 1154 b 25, VII, 13. 1153 a 12, X, 4. 1174 b 23: *τελειοῖ τὴν ἐνέργειαν ἡ ἡδονή*. Antea primam substantiam aeternum actum esse docuit; atqui actus affert voluptatem; ergo substantia prima et voluptate fruitur et semper ea fruitur. Atque ob hanc causam, b 17: *καὶ διὰ τοῦτο*, h. e. *ἐπεὶ καὶ*

ψυχὴν συμβαινόντων καὶ ἀπὸ τῶν μετεώρων· ἀλλ' ἀπὸ μὲν τῶν περὶ τὴν ψυχὴν συμβαινόντων, διὰ τοὺς ἐν τοῖς ὕπνοις γινομένους ταύτης ἐνθουσιασμοὺς καὶ τὰς μαντείας . . . . . ἀλλὰ δὴ καὶ ἀπὸ τῶν μετεώρων· θεασάμενοι γὰρ μεθ' ἡμέραν μὲν ἥλιον περιπολοῦντα, νύκτωρ δὲ τὴν εὔτακτον τῶν ἄλλων ἀστέρων κίνησιν, ἐνόμισαν εἶναί τινα θεὸν τὸν τῆς τοιαύτης κινήσεως καὶ εὐταξίας αἴτιον. Cicero, de natur. deor. II, 37. 95: Praeclare ergo Aristoteles si essent, inquit, qui sub terra semper habitavissent bonis et illustribus domiciliis, quae essent ornata signis atque picturis instructaque rebus iis omnibus, quibus abundant ii qui beati putantur, nec tamen exissent umquam supra terram, accepissent autem fama et auditione esse quoddam numen et vim deorum, deinde aliquo tempore patefactis terrae faucibus ex illis abditis sedibus evadere in haec loca, quae nos incolimus, atque exire potuissent, cum repente terram et maria caelumque vidissent, nubium magnitudinem ventorumque vim cognovissent adspexissentque solem, eiusque cum magnitudinem pulchritudinemque, tum etiam efficientiam cognovissent, quod is diem efficeret toto caelo luce diffusa, cum autem terras nox opacasset, tum caelum totum cernerent astris distinctum et ornatum, lunaeque luminum varietatem tum crescentis, tum senescentis eorumque omnium ortus et occasus et in omni aeternitate ratos immutabilesque cursus cum viderent: profecto et esse deos et haec tanta opera deorum esse arbitrarentur.

[1]) *Λ*, 7. 1072 b 14 sqq.

[2]) *τούτου* genetivum delendum esse arbitramur. Vid. excurs. IV.

ἡδονὴ ἡ ἐνέργεια, expergefieri, percipere, cogitare iucundissimum est, spes autem et recordationes propter haec scil. iucundissimae sunt, h. e. propterea quod ad unam ex illis actionibus spectant. Iam ad summam et praestantissimam mentis humanae actionem describendam transit. Dixerat enim primae substantiae vitam esse talem, qualis nobis nonnumquam per breve temporis spatium contingeret. Itaque iam declarandum est, quae nostra sit vita optima ac praestantissima. Beatissimam autem hominibus vitam suppeditat summa mentis actio. Cogitatio vero per se est eius quod per se optimum est et summa summi. Nam dignitas cogitationis pendet ex eo quod cogitatur, cf. *Λ*, 9. 1074 b 29 seqq. Summa vero est cogitatio et optima, ubi semet ipsum intellectus cogitat. Semet ipsum autem intellectus cogitat, cum participet intellegibile. Hoc quid sibi velit proximis brevissime exponitur. Intellegibilis enim exsistit comprehendens et cogitans, scil. intellegibilia, h. e. notiones sive formas a materia seiunctas. θιγγάνων, cf. *Θ*, 10. 1051 b 24, ubi dicitur de cognoscendis substantiis simplicibus. [Aliter Brandis. II, 2. 1, 577: „In ähnlicher Weise wird vom göttlichen Geiste gesagt, dass er sich berührend sich selber denke." Quam interpretationem probat Schwegler. Metaph. IV, p. 266. Nobis autem ea psychologiae Aristoteleae adversari videtur.] ita ut idem sit intellectus et intellegibile. b 21: ὥστε ταὐτὸν νοῦς καὶ νοητόν. Nos: „sie fallen zusammen." Nam id quod recipere potest intellegibile atque substantiam est intellectus. b 22: τοῦ νοητοῦ καὶ τῆς οὐσίας. καί particula hic quemadmodum saepissime apud Aristotelem notioni generali aliam, quae rem accuratius significet, adiungit, cf. Waitz. Organ. II, p. 397 sq. Bonitz. Met. comment. p. 218. Intellegibile enim quod intellectus recipit rerum forma materiae immunis sive substantia est. Actu autem est, ubi habet, scil. intellegibile, h. e. ubi formae re in intellectu insunt. Tum enim opere suo fungitur et actu est, vel ut accuratius dicamus: tum θεωρεῖ. Nam proprius intellectus actus est speculatio,

cf. Phys. VIII, 4. 255 b 2: ὁ γὰρ ἔχων ἐπιστήμην μὴ θεωρῶν δὲ δυνάμει ἐστὶν ἐπιστήμων πως, ἀλλ' οὐχ ὡς καὶ πρὶν μαθεῖν. ὅταν δ' οὕτως ἔχῃ, ἐάν τι μὴ κωλύῃ, ἐνεργεῖ καὶ θεωρεῖ. De anim. II, 5. 417 b 5: θεωροῦν γὰρ γίγνεται τὸ ἔχον τὴν ἐπιστήμην. Itaque hoc, scil. quod actu est intellegibilis et speculatur, magis quam illud, scil. quod capax est intellegibilis recipiendi et speculandi utitur potentia, est id quod divini intellectus habere videtur. Nam haec mentis cogitatio sui ipsius summa hominis actio est atque ea, per quam prope ad vitam divinam accedat, cf. Eth. Nic. X, 7. 1177 b 26. Atque speculatio gratissimum est et optimum. Iam huic praestantissimae et beatissimae vitae humanae philosophus confert divinam[1]). Si igitur tam

---

[1]) Schweglerus putat verba inde a b 18: ἡ δὲ νόησις ἡ καθ' αὑτὴν κτλ. referenda esse ad mentem divinam. Cui sententiae primum totius loci ratio obstat. Nam cum dixerit philosophus b 14: διαγωγὴ δ' ἐστὶν οἵα ἡ ἀρίστη μικρὸν χρόνον ἡμῖν, quae sit nostra vita optima docendum est. Hoc per se requiritur. Praeterea autem verba quae leguntur b 24: εἰ οὖν οὕτως εὖ ἔχει, ὡς ἡμεῖς ποτέ, ὁ θεὸς ἀεί, θαυμαστόν· εἰ δὲ μᾶλλον, ἔτι θαυμασιώτερον, satis docent ea quae antecedant pertinere ad mentem humanam. Denique in divinum intellectum minime cadunt haec: νοητὸς γὰρ γίγνεται θιγγάνων καὶ νοῶν b 20 et τὸ γὰρ δεκτικὸν τοῦ νοητοῦ καὶ τῆς οὐσίας νοῦς b 22. Contra Bonitzius de mente humana disseri putat usque ad verba: τὸ γὰρ δεκτικὸν τοῦ νοητοῦ καὶ τῆς οὐσίας νοῦς, atque reverti disputationem ad intellectum divinum inde a verbis ἐνεργεῖ δὲ ἔχων b 22. Cf. comment. p. 501: „Intellectus enim suapte natura aptus est ad recipiendum id quod est intellegibile, id est autem ad recipiendam substantiam. Summus vero intellectus, quoniam ipse in se continet atque ipse est τὸ νοητόν, non facultatem solum habet intellegendi, sed ἐνεργεῖ." Sed si quis dicit: τὸ γὰρ δεκτικὸν τοῦ νοητοῦ καὶ τῆς οὐσίας νοῦς, ἐνεργεῖ δὲ ἔχων posterior enunciati pars subiecto uti non potest alio atque pars prior. Neque punctum ponendum est ante verba ἐνεργεῖ δὲ ἔχων, sed comma, cum his actus opponatur potentiae, quae significatur priore sententiae parte. Confer his verbis locum qui est de anim. III, 4. 429 b 30: ὅτι δυνάμει πώς ἐστι τὰ νοητὰ ὁ νοῦς, ἀλλ' ἐντελεχείᾳ οὐδέν, πρὶν ἂν νοῇ. Praeterea autem ne tum quidem, si id quod vult Bonitzius statuitur, philosophi expositio apte procedit. Nam verba: εἰ οὖν οὕτως εὖ ἔχει, ὡς ἡμεῖς ποτέ, ὁ θεὸς ἀεί, θαυμαστόν· apertissimo sunt indicio, ea quae antecedant ad mentem spectare humanam. Itaque sententiarum cohaerentia esse non potest nisi haec: dei perpetuo vita est, qualis optima, quae nobis per breve tem-

bene, quam nos nonnumquam, deus semper se habet, admirabile; sin autem magis, etiam admirabilius. Habet autem se hoc modo. Atque vita suppetit, nam intellectus actus est vita; ille autem est actus; actus autem qui per se est illius vita est optima atque aeterna. Dicimus igitur (libri: *φαμὲν δέ*, Bonitzius suspicatur scribendum esse: *φαμὲν δή*, quod nobis esse probandum videtur), deum esse animal aeternum, optimum, ita ut vita continua et aeterna suppetat deo; talis enim deus est."

Describit igitur Aristoteles dei vitam eam, quae versetur in speculatione. Quid autem cogitet, explicat *Λ*, 9. 1074 b 33: *αὑτὸν ἄρα νοεῖ, εἴπερ ἐστὶ τὸ κράτιστον, καὶ ἔστιν ἡ νόησις νοήσεως νόησις*, „semet ipsum igitur cogitat intellectus divinus, siquidem optimum est, et cogitatio est cogitationis cogitatio." Quod quid sibi velit, summa doctorum hominum est dubitatio sententiarumque discrepantia. Expeditum autem iri quaestionem arbitramur, si cuiusmodi humanae mentis sit suimet ipsius cogitatio intellexerimus. Nam magnam similitudinem ex Aristotelis sententia inter mentem divinam et humanam intercedere cognoscimus et ex iis quae locum prolatum sequuntur [1]), et ex loco capitis septimi de quo modo egimus; neque minus ex multis aliis Aristoteleorum librorum locis id apparet. Itaque ut perspiciamus, quae sit divini intellectus cogitationis cogitatio, satius esse ducimus antea quae sit humanae mentis cogitatio sui ipsius investigare.

---

poris spatium conceditur; nam etiam voluptatem actus, quo ille semper utitur, affert b 14—17. Iam transit ad actus vitae humanae, ut quae sit optima nostra vita explicet, *καὶ διὰ τοῦτο ἐγρήγορσις αἴσθησις νόησις ἥδιστον* b 17. 18. Summus vero hominis actus est summa cogitatio, *ἡ δὲ νόησις ἡ καθ' αὑτὴν τοῦ καθ' αὑτὸ ἀρίστου, καὶ ἡ μάλιστα τοῦ μάλιστα* b 18. Quae quomodo fiat, explicat b 20—23, additque suavissimum eam esse et optimum, quod hominibus contingat, *καὶ ἡ θεωρία τὸ ἥδιστον καὶ ἄριστον* b 24. Quo facto summae beatitudini humanae vitam comparat dei, *εἰ οὖν οὕτως εὖ ἔχει, ὡς ἡμεῖς ποτέ, ὁ θεὸς ἀεί, θαυμαστόν· εἰ δὲ μᾶλλον, ἔτι θαυμασιώτερον. ἔχει δὲ ὧδί* b 24—26.

[1]) Cf. c. 9. 1074 b 35 sqq.

Mentem seiunctum quid esse et quod per se consistat, saepius dicit Aristoteles, demonstrare studet, si quid video, de anim. III, 4. 429 b 10seqq. Antea de mente verba ita fecerat, ut aliquantum similitudinis ei esset cum sensitivo, hic aliud quid esse quo res ipsas, aliud quo eorum notiones cognoscamus et iudicemus, statuit. Fundamentum autem argumentationis repetit e rerum concretarum et notionum diversitate, ita ut servetur via ac ratio quam proponit de anim. II, 4. 415 a 16seqq.[1]. „Cum vero," inquit, „aliud quid sit quantitas et notio quantitatis atque aqua et notio aquae (sic autem etiam in multis aliis res se habet, tamen non in omnibus, in nonnullis enim res et notio eius inter se non differunt), carnis notionem et carnem aut alio aut eo quod aliter se habeat mens iudicat, *ἢ ἄλλῳ ἢ ἄλλως ἔχοντι κρίνει*, h. e. aut parte sive facultate alia aut eadem, ita tamen, ut aliter se habeat ubi carnem, aliter ubi eius notionem percipit. Nam caro non est sine materia, sed pariter atque cavum quod in naribus cernitur, hoc in hoc, *τόδε ἐν τῷδε*, h. e. forma cum materia coniuncta. *τὸ σιμόν* rerum concretarum exemplum est Aristoteli admodum usitatum, contra *τὸ κοῖλον* exemplum est formae materia immunis, cf. Met. E, 1. 1025 b 30seqq. Sensitivo igitur calidum et frigidum percipit ac iudicat et quorum aliqua ratio est caro, contra alio, aut seiuncto quo aut (eo quod ita aliud est), quemadmodum linea inflexa se habet ad semet ipsam, quando est extenta, carnis notionem iudicat. Haec verba quem in modum intellegenda sint, dubium est. Liceat autem, ne moremur in hoc loco, ipsi quid sentiamus, statim in medium proferre. Ac nobis quidem sententia videtur esse

[1]) *Εἰ δὲ χρὴ λέγειν τί ἕκαστον αὐτῶν, οἷον τί τὸ νοητικὸν ἢ τὸ αἰσθητικὸν ἢ τὸ θρεπτικόν, πρότερον ἔτι λεκτέον τί τὸ νοεῖν καὶ τί τὸ αἰσθάνεσθαι· πρότερον γάρ εἰσι τῶν δυνάμεων αἱ ἐνέργειαι καὶ αἱ πράξεις κατὰ τὸν λόγον. εἰ δ' οὕτως, τούτων δ' ἔτι πρότερα τὰ ἀντικείμενα δεῖ τεθεωρηκέναι, περὶ ἐκείνων πρῶτον ἂν δέοι διορίσαι διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν, οἷον περὶ τροφῆς καὶ αἰσθητοῦ καὶ νοητοῦ.*

haec: alio autem aut seiuncto, h. e. quod ita est aliud, ut substantia a sensitivo differat, aut eo, quod ita est aliud, quemadmodum linea alia est ubi inflectitur, alia ubi extenditur, h. e. alio, quod substantia quidem idem est atque sensitivum, differt autem ab eo notione sive modo (quo vocabulo hic ita utimur, ut proxime accedat ad significationem quam Spinoza huic voci subiecit) carnis notionem percipit. Etenim linea et cum inflectitur et cum extenditur, substantia quidem est eadem, diversa modo et notione. Quod Aristoteles ut ostenderet, non dixit *ὡς ἡ κεκλασμένη ἔχει πρὸς τὴν εὐθεῖαν*, sed *πρὸς αὑτὴν ὅταν ἐκταθῇ*, quo eandem manere substantiam, modum exsistere alium optime significatur. Illustratur igitur hic exemplo discrimen, quod supra indicaverat verbis *ἢ ἄλλῳ ἢ ἄλλως ἔχοντι* [1]).

In iis quae proxime sequuntur Aristoteles, quo, h. e. qua parte sive facultate, mens intellegat res mathematicas docet. Absolvitur autem argumentatio verbis: *καὶ ὅλως ἄρα ὡς χωριστὰ τὰ πράγματα τῆς ὕλης, οὕτω καὶ τὰ περὶ τὸν νοῦν*, „atque omnino quemadmodum notiones segregatae sunt a materia, ita res etiam in mente se habet," h. e. ita etiam mens materiae immunis est.

Universa igitur argumentatio est haec. Res concretae et notiones inter se differunt, quam ob causam mens utrasque non eodem, h. e. non eadem parte sive facultate, percipere

---

[1]) Cf. 429 b 20: *ἑτέρῳ ἄρα ἢ ἑτέρως ἔχοντι κρίνει.* II, 2. 413 b 14: *καὶ εἰ μόριον, πότερον οὕτως ὥστ' εἶναι χωριστὸν λόγῳ μόνον ἢ καὶ τόπῳ.* III, 4. in.: *Περὶ δὲ τοῦ μορίου τοῦ τῆς ψυχῆς ᾧ γινώσκει τε ἡ ψυχὴ καὶ φρονεῖ, εἴτε χωριστοῦ ὄντος εἴτε καὶ μὴ χωριστοῦ κατὰ μέγεθος ἀλλὰ κατὰ λόγον κτλ.* Alia atque nos statuit Trendelenburgius, qui comment. p. 477 „Inflexa", ait, „linea e recta nata posterius aliquid est, cui recta tanquam prius subest. Si inflexam in rectam rursus extenderis, princeps illud et causa restituitur. Ita mens, si notionem, quae rem constituit tanquam lex et causa, intellexerit, hoc, quod subest, sublatis, quae materiae natura notioni acciderunt, in dignitatem restituit suam." Quod in verbis Aristotelis inesse posse non negamus. Tamen aptius nobis argumentatio progredi videtur, si illam quam proposuimus notionem subicimus. Sed de hac quidem re iudicium sit penes alios.

potest. Iam duo cogitari possunt. Id enim quo notiones intellegit, h. e. intellectivum, ab eo quo percipit res concretas, h. e. a sensitivo, aut substantia aut tantum modo et notione differt. Cum vero notiones a materia seiunctae sint, id quo eas comprehendimus et ipsum materia careat necesse est. Ergo intellectivum materiae prorsus immune est atque substantia a sensitivo differt, ut quod cum materia sit coniunctum. Sic ab obiectorum natura exorsus Aristoteles subiectorum indolem constituere studet. Cui rationi prorsus contraria est ea qua Plato utitur Tim. p. 51 D. [1]).

Intellectus autem, si Aristotelem sequimur, non tantum cogitandi et intellegendi facultas est, verum etiam intellegibilis; est enim notiones ipsae. Attamen innatae eae non sunt, ita ut omnis cogitatio nil sit nisi recordatio [2]), sed ab initio capax tantum est notionum sive formarum recipiendarum, actu autem ut notiones insint, ipse operetur necesse est [3]). Primus quidem intellectus status est, ut mera sit cogitandi facultas, utitur autem vi propria et insita, qua notiones formasque pro-

---

[1]) *Εἰ μὲν νοῦς καὶ δόξα ἀληθὴς ἐστὸν δύο γένη, παντάπασιν εἶναι καθ᾽ αὑτὰ ταῦτα, ἀναίσθητα ὑφ᾽ ἡμῶν εἴδη, νοούμενα μόνον· εἰ δ᾽ ὥς τισι φαίνεται, δόξα ἀληθὴς νοῦ διαφέρει τὸ μηδέν, πανθ᾽ ὁπόσα αὖ διὰ τοῦ σώματος αἰσθανόμεθα, θετέον βεβαιότατα. δύο δὴ λεκτέον ἐκείνω, διότι χωρὶς γεγόνατον ἀνομοίως τε ἔχετον. τὸ μὲν γὰρ αὐτῶν διὰ διδαχῆς, τὸ δ᾽ ὑπὸ πειθοῦς ἡμῖν ἐγγίγνεται· καὶ τὸ μὲν ἀεὶ μετὰ ἀληθοῦς λόγου, τὸ δὲ ἄλογον· καὶ τὸ μὲν ἀκίνητον πειθοῖ, τὸ δὲ μεταπειστόν· καὶ τοῦ μὲν πάντα ἄνδρα μετέχειν φατέον, νοῦ δὲ θεούς, ἀνθρώπων δὲ γένος βραχύ τι. τούτων δὲ οὕτως ἐχόντων ὁμολογητέον ἓν μὲν εἶναι τὸ κατὰ ταὐτὰ ἔχον εἶδος, ἀγέννητον καὶ ἀνώλεθρον, οὔτε εἰς ἑαυτὸ εἰσδεχόμενον ἄλλο ἄλλοθεν οὔτε αὐτὸ εἰς ἄλλο ποι ἰόν, ἀόρατον δὲ καὶ ἄλλως ἀναίσθητον, τοῦτο ὃ δὴ νόησις εἴληχεν ἐπισκοπεῖν· τὸ δ᾽ ὁμώνυμον ὅμοιόν τε ἐκείνῳ δεύτερον, αἰσθητόν, γεννητόν, πεφορημένον ἀεί, γιγνόμενόν τε ἔν τινι τόπῳ καὶ πάλιν ἐκεῖθεν ἀπολλύμενον, δόξῃ μετ᾽ αἰσθήσεως περιληπτόν.*

[2]) De anim. III, 5. 430 a 23: *οὐ μνημονεύομεν δέ, ὅτι τοῦτο μὲν ἀπαθές, ὁ δὲ παθητικὸς νοῦς φθαρτός, καὶ ἄνευ τούτου οὐθὲν νοεῖ.*

[3]) L. l. III, 4. 429 a 27: *καὶ εὖ δὴ οἱ λέγοντες τὴν ψυχὴν εἶναι τόπον εἰδῶν, πλὴν ὅτι οὔτε ὅλη ἀλλ᾽ ἡ νοητική, οὔτε ἐντελεχείᾳ ἀλλὰ δυνάμει τὰ εἴδη.* 4. 429 a 22: *ὁ ἄρα καλούμενος τῆς ψυχῆς νοῦς οὐθέν ἐστιν ἐνεργείᾳ τῶν ὄντων πρὶν νοεῖν.*

gignat ac procreet. Sed hoc fieri tum demum potest, cum homo iam ad summum cognitionis fastigium pervenit. Distinguit enim Aristoteles quattuor cognitionis gradus: perceptionem, memoriam, experientiam, scientiam artemque[1]). Quorum ultimum demum gradum homo ubi assecutus est, notiones puras cogitare valet. Ubi autem assecutus est, duplici modo se potest habere. Primum enim ita institutus esse potest, ut statim depromere possit notiones sive formas, non autem eas cogitet. Qui status utrum in potentia an in actu habendus sit, dubitare licet. Etenim si merae potentiae componis, actus est, atque Aristoteles haud raro ei actus praedicatum tribuit, contra si cum speculantis statu comparas, potentiae instar est, tamen ita, ut multum distet a mera potentia, quam ob causam philosophus, *δύναμιν* ubi eum vocat, *πώς* particulam addere solet[2]). Iam tertius sequitur status, qui est speculantis, *τοῦ θεωροῦντος*. Exsistit autem hic, ubi mens formas sive notiones re vera cogitat, quas cum aliunde petere non possit, sed ipsa procreet, mentis actio suspensa non est ex obiectis extra ipsam positis, quo longissime a sensibus abest. Atque ob hanc causam per semet ipsam agere potest et ipsa intellegibilis sive cogitabilis est, cum cogitationis obiecta habeat in semet ipsa[3]).

Nullo vero modo notiones illae ab actione cogitandi segregari possunt, cum non sint nisi quatenus cogitantur, neque magis speculationem seiungere licet a formis et notio-

---

[1]) Met. A, 1. in.

[2]) De anim. III, 4. 429 b 5: *ὅταν δ' οὕτως ἕκαστα γένηται ὡς ἐπιστήμων λέγεται ὁ κατ' ἐνέργειαν (τοῦτο δὲ συμβαίνει, ὅταν δύνηται ἐνεργεῖν δι' αὑτοῦ), ἔστι μὲν ὁμοίως καὶ τότε δυνάμει πως, οὐ μὴν ὁμοίως καὶ πρὶν μαθεῖν ἢ εὑρεῖν.*

[3]) L. l. II, 417 b 19: *διαφέρει δέ, ὅτι τοῦ μὲν τὰ ποιητικὰ τῆς ἐνεργείας ἔξωθεν, τὸ ὁρατὸν καὶ τὸ ἀκουστόν, ὁμοίως δὲ καὶ τὰ λοιπὰ τῶν αἰσθητῶν. αἴτιον δ' ὅτι τῶν καθ' ἕκαστον ἡ κατ' ἐνέργειαν αἴσθησις, ἡ δ' ἐπιστήμη τῶν καθόλου· ταῦτα δ' ἐν αὐτῇ πώς ἐστι τῇ ψυχῇ. διὸ νοῆσαι μὲν ἐπ' αὐτῷ, ὁπόταν βούληται, αἰσθάνεσθαι δ' οὐκ ἐπ' αὐτῷ.* III, 4. 429 b 30: *ὅτι δυνάμει πώς ἐστι τὰ νοητὰ ὁ νοῦς, ἀλλ' ἐντελεχείᾳ οὐδέν, πρὶν ἂν νοῇ.*

nibus, cum speculatio sit eo ipso quod formas et notiones generales producit. Sic speculativa mentis actio et notiones in unum prorsus coalescunt[1]), veluti forma quae in mente artificis inest, et cogitatio est et id quod cogitatur, atque notione quam philosophi mens comprehendit, et cogitatio et eius obiectum continetur[2]).

Iam apparere putamus, quid sit mentem cogitare semet ipsam. In se enim habet obiecta cogitationis atque ipsa ea procreat. Mens, quae est formarum sedes, cogitat formas, cogitat igitur semet ipsam. Atque cogitatio illa eiusmodi est, ut una cum ea obiecta prodeant et in ea ipsa insint. In hac

---

[1]) De anim. III, 4. 430 a 4: *ἡ γὰρ ἐπιστήμη ἡ θεωρητικὴ καὶ τὸ οὕτως ἐπιστητὸν τὸ αὐτό ἐστιν.* Accurate Aristoteles dicit: *ἡ ἐπιστήμη ἡ θεωρητική.* Snnt enim etiam, quae ad sensibiles res spectent; eas autem huc referre non licet, cf. II, 5. 417 b 24: *διὸ νοῆσαι μὲν ἐπ' αὐτῷ, ὁπόταν βούληται, αἰσθάνεσθαι δ' οὐκ ἐπ' αὐτῷ. ἀναγκαῖον γὰρ ὑπάρχειν τὸ αἰσθητόν. ὁμοίως δὲ τοῦτ' ἔχει κἀν ταῖς ἐπιστήμαις ταῖς τῶν αἰσθητῶν, καὶ διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν, ὅτι τὰ αἰσθητὰ τῶν καθ' ἕκαστα καὶ τῶν ἔξωθεν.* III, 5. 430 a 19. 8, 431 b 21 sqq. I, 3. 407 a 7.

[2]) Met. *Λ*, 9. 1074 b 38: *ἢ ἐπ' ἐνίων ἡ ἐπιστήμη τὸ πρᾶγμα· ἐπὶ μὲν τῶν ποιητικῶν ἄνευ ὕλης ἡ οὐσία καὶ τὸ τί ἦν εἶναι, ἐπὶ δὲ τῶν θεωρητικῶν ὁ λόγος τὸ πρᾶγμα καὶ ἡ νόησις. οὐχ ἑτέρου οὖν ὄντος τοῦ νοουμένου καὶ τοῦ νοῦ, ὅσα μὴ ὕλην ἔχει, τὸ αὐτὸ ἔσται, καὶ ἡ νόησις τῷ νοουμένῳ μία.* Bonitzins et Schweglerus loci de quo agimus verba construunt in hunc modum: *ἐπὶ μὲν τῶν ποιητικῶν (ἐπιστημῶν) ἄνευ ὕλης ἡ οὐσία καὶ τὸ τί ἦν εἶναι αὐτὸ τὸ πρᾶγμά ἐστιν, ἐπὶ δὲ τῶν θεωρητικῶν ὁ λόγος καὶ ἡ νόησίς ἐστι τὸ πρᾶγμα.* Cui interpretationi iam verborum ordo repugnat. Nemo enim verba isto modo inter se confundere potest. Itaque si requiritur ea quam illi homines docti volunt sententia, verba sunt traicienda. Deinde apparet philosophum hic demonstrare, qui intellectus et intellegibile sive cogitatio et cogitabile ad idem redeant. Nam hic totius expositionis est finis. Sin autem illo modo verba componimus, in sententia priore: *ἐπὶ μὲν τῶν ποιητικῶν (ἐπιστημῶν) ἄνευ ὕλης ἡ οὐσία καὶ τὸ τί ἦν εἶναι τὸ πρᾶγμα*, deest *ἡ νόησις*. Denique in sententia altera: *ἐπὶ δὲ τῶν θεωρητικῶν ὁ λόγος καὶ ἡ νόησις τὸ πρᾶγμα*, perperam *ὁ λόγος καὶ ἡ νόησις* inter se coniunguntur. Nam cogitatio ambitus est amplioris, quam quae notioni possit apponi, atque hoc loco eo minus id facere licet, cum cogitatio etiam in artem cadat. Contra optime omnia se habent verborum ordine quo philosophus usus est servato: in arte forma atque substantia materiae immunis obiectum est et cogitatio, in scientia notio, scil. obiectum est et cogitatio. „Der Begriff ist zugleich Begreifen und Begriffenes."

quidem cogitatione actio cogitandi et id quod cogitatur prorsus in unum coaluerunt, ita ut cogitatio ad semet ipsam redeat atque sit cogitationis cogitatio.

Ut absolvamus difficilem admodum de mentis cogitatione suimet ipsius doctrinam, pauca addenda sunt. Aristoteles obiectorum, ad quae mentis actio pertineat, duo genera distinguit[1]), quorum alterum complectitur ea quae materia carent, *τὰ ἄνευ ὕλης*, alterum res concretas. Hae intellegibiles non sunt nisi potentia[2]). Etenim non ipsae sunt intellegentis mentis obiecta, sed formae atque substantiae, quae insunt. Cogitando autem mens res ad veram ac primariam naturam reducit; removet enim quaecunque per accidens sunt atque in materia posita, neque relinquit nisi quod necessarium est et constans. Itaque quemadmodum instrumenta per manum demum ad suam vim perveniunt, ita formae per mentem eiusque actionem suam ac primariam naturam adipiscuntur[3]). Cum tali ratione mens suam ipsius indolem rebus quasi indat, eas sibi subicit atque earum formas constituit, ita ut iam suae ipsius sint notiones; quo facto ubi eas cogitat, cogitat semet ipsam[4]). Sic res mathematicas mens e rebus concretis atque ex ipsis experientiae finibus repetit; abstrahendo enim fingit corpus mathematicum, planitiem, lineam, punctum. Minime vero in iis quae tali modo sibi comparavit acquiescit, immo iam e puncto figuras mathematicas ducit atque ipsa necessariam eorum vim atque naturam procreat. Itaque Aristoteles minime secum pugnat, quod mathematica *τὰ ἐξ ἀφαιρέσεως*, h. e. abstrahendo a mente effecta vocare solet, et tamen Topic. VI,

---

[1]) De anim. III, 4. 430 a 3 sqq.

[2]) L. l. III, 4. 430 a 6: *ἐν δὲ τοῖς ἔχουσιν ὕλην δυνάμει ἕκαστόν ἐστι τῶν νοητῶν.*

[3]) L. l. III, 8. 432 a 1: *ὥστε ἡ ψυχὴ ὥσπερ ἡ χείρ ἐστιν· καὶ γὰρ ἡ χεὶρ ὄργανόν ἐστιν ὀργάνων, καὶ ὁ νοῦς εἶδος εἰδῶν.* Bernaysius, Die Dialage d. Aristot. p. 25, *εἶδος εἰδῶν* interpretatur: „Der Inbegriff der Begriffe," quam interpretationem nos probare non possumus.

[4]) L. l. III, 6. 430 b 24: *εἰ δέ τινι μή ἐστιν ἐναντίον τῶν αἰτίων, αὐτὸ ἑαυτὸ γιγνώσκει καὶ ἐνεργείᾳ ἐστὶ καὶ χωριστόν.*

141 b 5 seqq. punctum prius esse dicit linea atque lineam planitie et planitiem corpore, h. e. geometricarum figurarum originem e puncto repetit. Mentis enim cognitio proficiscitur a rebus concretis, ut quae nobis sint clariores et apertiores; dissolvendo autem eas ad ultima elementa causasque reducit, quo facto iam ab his, quae per se sunt planiora et manifestiora, exorsus, fortuitis rerum notis et qualitatibus omissis, constantem ac necessariam earum naturam constituit.

Quae mentis vis ut apertior sit, in memoriam revocamus initium primi Politicorum libri, ubi quemadmodum etiam in ceteris rebus ait id quod compositum sit, dissolvendum sit, donec perveniamus ad simplicissima, sic etiam civitatem reducendam esse ad ultimas simplicissimasque quibus constet societates [1]). Quod postquam dixit, quomodo homines ad conubium et domus societatem ineundam natura ipsa adducantur indeque oriatur civitas demonstrat. Haec est mentis natura, ut res quas percipit dissolvere possit atque ad ultima elementa et primas causas revocare, quo facto ipsa eas constituit et quasi procreat, ita ut iam vera ac primaria earum natura appareat. Sic etiam in rebus quae sensibus primo percipiuntur, mens dignitatem ac vim suam retinet, ita ut in iis quoque cogitatio extremo exsistat cogitationis cogitatio.

Quibus expositis constat humanae mentis cogitationem suimet ipsius contineri eo, ut mens obiecta cogitationis non aliunde petat sed ex semet ipsa quasi depromat. Neque aliam significationem habere potest illud: intellectum divinum cogitare semet ipsum et cogitationem esse cogitationis cogitationem. Et quid magis convenire potest in numinis divini dignitatem ac praestantiam, quam non aliunde ei adsciscenda esse ea quae cogitet, sed omnia habere in semet ipso? Co-

---

[1]) Polit. I, 1. 1252 a 17: *δῆλον δ' ἔσται τὸ λεγόμενον ἐπισκοποῦσι κατὰ τὴν ὑφηγημένην μέθοδον. ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς ἄλλοις τὸ σύνθετον μέχρι τῶν ἀσυνθέτων ἀνάγκη διαιρεῖν (ταῦτα γὰρ ἐλάχιστα μόρια τοῦ παντός), οὕτω καὶ πόλιν ἐξ ὧν σύγκειται σκοποῦντες ὀψόμεθα καὶ περὶ τούτων μᾶλλον, τί τε διαφέρουσιν ἀλλήλων, καὶ εἴ τι τεχνικὸν ἐνδέχεται λαβεῖν περὶ ἕκαστον τῶν ῥηθέντων.*

gitat autem id quod omnium maxime divinum ac nobilissimum est idque sine ulla mutatione. Nam per mutationem ad deterius quid transiret, atque praeterea haec mutatio in se contineret motum, qui a numinis divini natura prorsus abest[1]). Neque compositum quid esse potest quod deus mente complectitur; etenim compositum si esset, summus intellectus in percurrendis cogitatione singulis partibus motui et mutationi esset obnoxius[2]). Simplex igitur quid sit necesse est. Atque quaecunque materia carent, simplicia sunt et individua[3]). Itaque quemadmodum intellectus humanus, licet composita cogitare soleat, interdum se habet (non enim in hoc aut in hoc, sed in toto quo comprehendit optimum, quamvis diversum ab ipso sit), ita cogitatio quae est suimet ipsius cogitatio per omne aevum se habet[4]).

Deus igitur semper unum idque individuum cogitat neque aliunde petit. Sed quidnam hoc unum est? Diserte quidem Aristoteles id nusquam dixit, cognoscitur autem e verbis quae paullo supra attulimus. „Quemadmodum mens humana se habet, ubi bonum cogitat, sic intellectus divinus se habet per omnem aeternitatem.“ Cogitat igitur deus bonum et optimum, *τὸ εὖ, τὸ ἄριστον*. Neque minus id apparet ex verbis parenthetice insertis. „Non enim,“ ait, „intellectus humanus bonum in hoc aut in hoc cogitat, sed in toto quo amplectitur, quamvis ab ipso diversum sit.“ Quae si legimus, cogimur, ut mente addamus: multo igitur magis consentaneum est, divinum intellectum, utpote cuius natura a bono non differat, illud tamquam totum quid et unum cogitare per omne aevum.

---

¹) Met. *Λ*, 9. 1074 b 25: *δῆλον τοίνυν ὅτι τὸ θειότατον καὶ τιμιώτατον νοεῖ, καὶ οὐ μεταβάλλει· εἰς χεῖρον γὰρ ἡ μεταβολή, καὶ κίνησίς τις ἤδη τὸ τοιοῦτον.*

²) L. l. 1075 a 5: *ἔτι δὴ λείπεται ἀπορία, εἰ σύνθετον τὸ νοούμενον. μεταβάλλοι γὰρ ἂν ἐν τοῖς μέρεσι τοῦ ὅλου.*

³) L. l. 1075 a 6: *ἢ ἀδιαίρετον πᾶν τὸ μὴ ἔχον ὕλην.*

⁴) L. l. 1075 a 7: *ὥσπερ γὰρ ὁ ἀνθρώπινος νοῦς, ὅ γε τῶν συνθέτων, ἔχει ἔν τινι χρόνῳ (οὐ γὰρ ἔχει τὸ εὖ ἐν τῳδὶ ἢ ἐν τῳδί, ἀλλ᾽ ἐν ὅλῳ τινὶ τὸ ἄριστον, ὂν ἄλλο τι), οὕτως δὴ ἔχει αὐτὴ αὑτῆς ἡ νόησις τὸν ἅπαντα αἰῶνα.*

Iam quae subsequuntur, summum bonum duplex esse docent: et deum et mundi ordinem [1]. Necesse igitur est deus aut suam ipsius naturam aut mundi ordinem cogitet. Cum vero ex hoc ipso loco intellegatur mundi ordinem Aristotelem censere institutum esse a deo, cum, id quod supra vidimus, philosophus mundi ordine usus sit argumento, quo deum comprobaret esse agnoscendum, cum existimaverit hominum animos mundi eiusque ordinis adspectu adactos esse, ut numen divinum esse crederent: dubitare non possumus, quin Aristoteles deum cogitantem fecerit mundi ordinem.

Ordinem autem qui cogitat, nisi notionem eius intellegat abstractam, idem necesse est mente complectatur res omnes quarum est ordo. Veluti excercitus ordinem fingere nobis non possumus, nisi una exercitum omnesque eius partes animo percipimus. Pariter deus ordinem mundi cogitare non potest, nisi mundum ipsum atque omnes quae in eo insunt res animo comprehendit. Neque si Aristoteles dicit ordinem mundi a deo originem habere, id habet sententiam, quasi res iam perfectae in ordinem a deo redactae sint, immo res ipsae, id quod supra vidimus, ratione universi mundi habita institutae atque effectae sunt, ita ut mundus unus et bene compositus esse possit. Mundus est totum, res singulae eius partes, itaque hic quoque ratio tenenda est quam Aristoteles ubicunque observavit, totum partibus esse prius atque per eius naturam constitui partes. Tamen non hunc, quem nos cernimus, mundum intellectus divinus cogitat; is enim extra deum est, ita ut hunc si cogitaret, cogitatio non amplius esset cogitationis cogitatio, sed mundum comprehendit, quem in semet ipso habet, h. e. mundum intellegibilem. Formarum igitur et substantiarum universitatem animo complectitur, ita ut divina

[1]) Met. Λ, 10 in.: *Ἐπισκεπτέον δὲ καὶ ποτέρως ἔχει ἡ τοῦ ὅλου φύσις τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ ἄριστον, πότερον κεχωρισμένον τι καὶ αὐτὸ καθ' αὑτό, ἢ τὴν τάξιν; ἢ ἀμφοτέρως ὥσπερ στράτευμα. καὶ γὰρ ἐν τῇ τάξει τὸ εὖ καὶ ὁ στρατηγός, καὶ μᾶλλον οὗτος· οὐ γὰρ οὗτος διὰ τὴν τάξιν ἀλλ' ἐκείνη διὰ τοῦτόν ἐστι.* Haec autem prior capitis decimi pars artissime cum capite nono cohaeret neque ab eo est seiungenda, cf. Bonitz. comment. p. 518.

quoque mens formarum sedes sit. Semper vero atque ex aeterno tempore formae ei obversantur optime ordinatae atque dispositae, ut mundum efficiant unum. Quam ob rem deus est *τὸ τί ἦν εἶναι τὸ πρῶτον*[1]), cum *τὰ τί ἦν εἶναι* omnia sint per illum. Quam formarum universitatem conferre licet illi apud Platonem animali quod omnia omnino animalia in se continet. Nam hoc animal nihil aliud est nisi idearum summa, ita tamen ut ideae omnes pariter atque animalis partes optime compositae et in unum quasi corpus coniunctae sint[2]).

Atque ad hanc formarum universitatem deus mundum sensilem effecit, pariter atque deus apud Platonem secundum animal intellegibile. Cum vero dei mente comprehendantur formae, divinae naturae plenae sint necesse est, quo fit, ut hic quoque mundus, ut qui secundum illas effectus sit et conditus, naturae divinae sit particeps. Itaque divini numinis qualitates aliquatenus etiam in huius mundi rebus cernuntur. Deus est substantia, actus, vita, aeternus, speculatio, est bonum et optimum, quocirca harum quoque rerum primaria natura est substantia atque certe quae animata sunt vitam actumque et aeternitatem appetunt[3]); atque hominum summa actio est speculatio[4]). Praeterea fines qui sunt secundum

---

[1]) Met. *Λ*, 8. 1074 a 35.

[2]) Plat. Tim. 30 C: *Τούτου δ' ὑπάρχοντος αὖ τὰ τούτοις ἐφεξῆς ἡμῖν λεκτέον, τίνι τῶν ζώων αὐτὸν εἰς ὁμοιότητα ὁ ξυνιστὰς ξυνέστησε. τῶν μὲν οὖν ἐν μέρους εἴδει πεφυκότων μηδενὶ καταξιώσωμεν· ἀτελεῖ γὰρ ἐοικὸς οὐδέν ποτ' ἂν γένοιτο καλόν· οὗ δ' ἔστι τἆλλα ζῶα καθ' ἓν καὶ κατὰ γένη μόρια, τούτῳ πάντων ὁμοιότατον αὐτὸν εἶναι τιθῶμεν. τὰ γὰρ δὴ νοητὰ ζῶα πάντα ἐκεῖνο ἐν ἑαυτῷ περιλαβὸν ἔχει, καθάπερ ὅδε ὁ κόσμος ἡμᾶς ὅσα τε ἄλλα θρέμματα ξυνέστηκεν ὁρατά.*

[3]) De anim. II, 4. 415 a 26: *φυσικώτατον γὰρ τῶν ἔργων τοῖς ζῶσιν, ὅσα τέλεια καὶ μὴ πηρώματα, ἢ τὴν γένεσιν αὐτομάτην ἔχει, τὸ ποιῆσαι ἕτερον οἷον αὐτό, ζῷον μὲν ζῷον, φυτὸν δὲ φυτόν, ἵνα τοῦ ἀεὶ καὶ τοῦ θείου μετέχωσιν ᾗ δύνανται· πάντα γὰρ ἐκείνου ὀρέγεται κἀκείνου ἕνεκα πράττει ὅσα πράττει κατὰ φύσιν.*

[4]) Eth. Nic. X, 7. 1177 b 26: *ὁ δὲ τοιοῦτος ἂν εἴη βίος κρείττων ἢ κατ' ἄνθρωπον· οὐ γὰρ ᾗ ἄνθρωπός ἐστιν οὕτω βιώσεται, ἀλλ' ᾗ θεῖόν τι ἐν αὐτῷ ὑπάρχει· ὅσῳ δὲ διαφέρει τοῦτο τοῦ συνθέτου, τοσούτῳ καὶ ἡ ἐνέργεια τῆς κατὰ τὴν ἄλλην ἀρετήν. εἰ δὴ θεῖον ὁ νοῦς πρὸς τὸν ἄνθρω-*

naturam, per se sunt bona, cum a deo profecti sint optimo. Denique bonum summum, quod ita, ut persona sit, deus est, in hoc mundo inest ita, ut sit ordo [1]). Quo iam satis apparere putamus, quae *Λ*, 10. 1075 a 24 significentur verbis: *καὶ ἄλλα οὕτως ἐστὶν ὧν κοινωνεῖ ἅπαντα εἰς τὸ ὅλον.*

Sed obicere quis nobis possit: Num illa formarum universitas individuum quid est? Nonne formae sunt multae? A qua parte ne laborare videatur sententia nostra, inquirendum est, quid sit Aristoteli individuum, certe ad cogitationem quod attinet. Distinguit autem philosophus tria individuorum genera [2]). Ac primum quidem profert individuum id quod in magnitudine positum est, veluti linea et tempus. Haec nihil impedit, quominus una eademque mentis actione comprehendamus. Alterum genus est eorum quae individua sunt notione. Notio enim partes colligit et complectitur, ut unum quasi corpus efficiant. Veluti hominis vel aedificii notionem cogitamus ita, ut individuum quid sit, quamvis plurimis partibus constet. Tertio denique genere continentur ea quae privatione individua sunt, veluti punctum et temporis momentum. E quibus individuorum generibus duo priora tantum in disputationem nostram cadere sponte intellegitur. Iam num iis formarum universitas conveniat, examinandum est. Et primum quidem genus si respicis, profecto intellectui divino concedendum est, ut pariter atque nos lineam et aliquod temporis spatium, ille formarum universitatem una eademque cogitatione comprehendat. Alterum autem individuorum genus si consideramus, Platonis quoque animal unum est et reliqua animalia omnia partium instar in se continet [3]), atque etiam

πον, καὶ ὁ κατὰ τοῦτον βίος θεῖος πρὸς τὸν ἀνθρώπινον βίον. 8. 1178 b 25: *τοῖς μὲν γὰρ θεοῖς ἅπας ὁ βίος μακάριος, τοῖς δ' ἀνθρώποις, ἐφ' ὅσον ὁμοίωμά τι τῆς τοιαύτης ἐνεργείας ὑπάρχει· τῶν δ' ἄλλων ζῴων οὐδὲν εὐδαιμονεῖ, ἐπειδὴ οὐδαμῇ κοινωνεῖ θεωρίας.*

[1]) Met. *Λ*, 10 in.

[2]) De anim. III, 6. 430 b 6 sqq. De quo loco cf. excurs. V.

[3]) Plat. Tim. 30 C: *οὗ δ' ἔστι τἆλλα ζῶα καθ' ἓν καὶ κατὰ γένη μόρια, τούτῳ πάντων ὁμοιότατον αὐτὸν εἶναι τιθῶμεν. τὰ γὰρ δὴ νοητὰ ζῶα πάντα ἐκεῖνο ἐν ἑαυτῷ περιλαβὸν ἔχει.*

Aristoteli haec rerum universitas est una[1]), quo efficitur, ut ille quoque mundus intellegibilis unus sit, ut sit forma una, cuius reliquae formae omnes sunt partes. Itaque deus formarum universitatem, tamquam sit substantia una et individua, cogitat[2]).

Iam qua ratione ex illa forma universali haec rerum universitas exsistat, inquirendum est. E sanitatis quidem notione medici mente concepta sanitas fit in corpore atque e domus forma, quam medicus cogitat, domus sensilis oritur[3]). Perficitur autem hoc motione, quae omnium rerum est creatrix atque effectrix. Pariter deus ut forma universalis fiat sensilis, efficit motione. Nam ipse omnis motus principium est et origo. Sic deus hunc mundum condidit, cum motione illam materiam omni ex parte infinitam secundum formam universalem componeret ac fingeret. Videmus igitur in principio summo causam finalem, formalem, efficientem coire in unum. Nam forma quam numen divinum cogitat est rerum finis, atque idem deus qui formam mente percipit, efficit eam motione. Cum vero summi intellectus cogitatio sit cogitationis cogitatio, ubi fines ponit atque adducit ad effectum, non persequitur, quae a se diversa et aliena sint, immo omnia ex sua ipsius natura promit[4]). Itaque iam apud Aristotelem habes, quod Spinozae philosopho opponas, cui quominus causam finalem agnoscamus, dei sufficientia obstare videtur, cum si deus propter finem ageret, aliquid necessario appeteret,

---

[1]) Met. *Λ*, 10. 1075 a 18: *πρὸς μὲν γὰρ ἓν ἅπαντα συντέτακται.*

[2]) Cf. Trendelenburg. Log. Unters. II, 444: „Aber wie vor Gott tausend Jahre sind wie Ein Tag, so sind vor ihm tausend und aber tausend Schlüsse wie Ein Begriff und die verwickelte Welt wie Eine einfache Thatsache."

[3]) Met. Z, 7. 1032 b 11: *ὥστε συμβαίνει τρόπον τινὰ ἐξ ὑγιείας τὴν ὑγίειαν γίνεσθαι καὶ τὴν οἰκίαν ἐξ οἰκίας, τῆς ἄνευ ὕλης τὴν ἔχουσαν ὕλην.*

[4]) Met. *Λ*, 10. 1075 b 8: *Ἀναξαγόρας δὲ ὡς κινοῦν τὸ ἀγαθὸν ἀρχήν, ὁ γὰρ νοῦς κινεῖ· ἀλλὰ κινεῖ ἕνεκά τινος, ὥστε ἕτερον. πλὴν ὡς ἡμεῖς λέγομεν· ἡ γὰρ ἰατρική ἐστί πως ἡ ὑγίεια.*

quo careret[1]). Nihilo vero caret deus, cum ipse fines procreet.

Movet autem deus, cum ipse non moveatur; quod tantum abest, ut apud Aristotelem miremur, ut egregie cum eius doctrina congruat. Etenim cum unumquidque quod movetur ex Aristotelis sententia requirat alterum quod moveat, summum motionis principium non moveri prorsus est necesse. Neque ratio Aristoteli hoc placitum impugnare videtur, cum motus non in eo insit quod moveat, sed in eo quod moveatur[2]). Praeterea motioni a deo proficiscenti conferre licet rationem qua anima, Aristotelem si sequimur, animalia movet. Haec enim omnis motus voluntarii est principium, quamquam ipsa non movetur[3]). Neque aliter in rebus naturae orientibus et crescentibus operantur formae, cum materiam moveant ac fingant immotae ipsae. Atque pariter cogitatio quae est efficienda, h. e. cuius obiectum appetibile quid est, vis est, quae dum ipsa non movetur, corporis motum suscitat ac moderatur[4]). Veluti si quis domum aedificare vult, primum est notio (*τὸ εἶδος*) domus; haec est *τὸ νοητόν* eademque, quatenus ad effectum eam adducere volumus, est *τὸ ὀρεκτόν*. Haec

---

[1]) Cf. Eth. I. append. p. 74 ed. Paul. „Si deus propter finem agit, aliquid necessario appetit, quo caret."

[2]) De anim. III, 2. 426 a 2: *εἰ δ' ἔστιν ἡ κίνησις καὶ ἡ ποίησις καὶ τὸ πάθος ἐν τῷ ποιουμένῳ, ἀνάγκη καὶ τὸν ψόφον καὶ τὴν ἀκοὴν τὴν κατ' ἐνέργειαν ἐν τῇ κατὰ δύναμιν εἶναι· ἡ γὰρ τοῦ ποιητικοῦ καὶ κινητικοῦ ἐνέργεια ἐν τῷ πάσχοντι ἐγγίνεται. διὸ οὐκ ἀνάγκη τὸ κινοῦν κινεῖσθαι.*

[3]) L. l. II, 4. 415 b 9: *ὁμοίως δ' ἡ ψυχὴ κατὰ τοὺς διωρισμένους τρόπους τρεῖς αἰτία· καὶ γὰρ ὅθεν ἡ κίνησις αὐτή* et quae sequuntur, coll. I, 4. 408 b 15: *τοῦτο δὲ μὴ ὡς ἐν ἐκείνῃ τῆς κινήσεως οὔσης, ἀλλ' ὁτὲ μὲν μέχρι ἐκείνης ὁτὲ δ' ἀπ' ἐκείνης.* I, 4. 408 b 30: *ὅτι μὲν οὖν οὐχ οἷόν τε κινεῖσθαι τὴν ψυχήν, φανερὸν ἐκ τούτων· εἰ δ' ὅλως μὴ κινεῖται, δῆλον ὡς οὐδ' ὑφ' ἑαυτῆς.*

[4]) L. l. III, 10. 433 b 10: *εἴδει μὲν ἓν ἂν εἴη τὸ κινοῦν, τὸ ὀρεκτικόν, ᾗ ὀρεκτικόν, πρῶτον δὲ πάντων τὸ ὀρεκτόν, (τοῦτο γὰρ κινεῖ οὐ κινούμενον τῷ νοηθῆναι ἢ φαντασθῆναι), ἀριθμῷ δὲ πλείω τὰ κινοῦντα. ἐπειδὴ δ' ἐστὶ τρία, ἓν μὲν τὸ κινοῦν, δεύτερον δ' ᾧ κινεῖ, ἔτι τρίτον τὸ κινούμενον· τὸ δὲ κινοῦν διττόν, τὸ μὲν ἀκίνητον, τὸ δὲ κινοῦν καὶ κινούμενον· ἐστὶ δὲ τὸ μὲν ἀκίνητον τὸ πρακτὸν ἀγαθόν* et quae sequuntur.

autem ipsa aedificii notio et forma corporis motum excitat ac dirigit ita, ut ipsi conveniat. Neque aliter res se habet, si quis mederi vult homini aegroto[1]). Atque tali modo movet deus. Ab hoc motus proficiscitur eodem plane modo, quo corporis motio ab intellegibili et appetibili, quod est in mente[2]).

Tres igitur causae in unam prorsus coalescunt. Verum tamen tres tantum, contra quarta ab eodem principio originem non habet, quo summa exsistit difficultas. Etenim deus fines constituit et perficit motione; sed ut fines efficiantur, opus est materia. Nam materia ex hypothesi necessaria est, qua vel deus, ut fines propositi re exsistant, eget. Materia autem a numine divino profecta non est. Itaque cum dei cogitatio sit cogitationis cogitatio, ad materiam utpote a se diversam pertinere nequit, atque adeo ne ad hunc quidem mundum sensilem, cum is cum materia sit coniunctus. Itaque ne omnis necessitudo inter deum atque hunc mundum tollatur, maximo opere est verendum. Cuius difficultatis causa in eo sita est, quod Aristoteles materiae quae ratio cum summo intellectu intercederet, omnino non significavit, id quod etiam in humano intellectu omisit. Etenim vult quidem menti speculanti simul obversari phantasma[3]); sed in phantasmate aliquid inest quod materiae respondeat, ut vocare possis materiam intellegibilem, *ὕλην νοητήν*, quae etiam figurarum geometricarum materia est. Quae vero ratio menti cum materia esset, non exposuit. Atque nova hic nobis occurrit quaestio. Si intellectus humanus, ubi speculatur, necesse est sibi depingat phantasma, num divinus intellectus eo potest carere? Vix hoc concedere audemus, cum tantum similitudinis intellectui humano cum divino

---

[1]) Met. Z, 7. 1032 b 21: *τὸ δὴ ποιοῦν καὶ ὅθεν ἄρχεται ἡ κίνησις τοῦ ὑγιαίνειν, τὸ εἶδός ἐστι τὸ ἐν τῇ ψυχῇ.*

[2]) L. l. *Λ*, 7. 1072 a 24: *τοίνυν ἔστι τι ὃ οὐ κινούμενον κινεῖ, ἀΐδιον καὶ οὐσία καὶ ἐνέργεια οὖσα. κινεῖ δὲ ὧδε τὸ ὀρεκτόν, καὶ τὸ νοητὸν κινεῖ οὐ κινούμενον.*

[3]) De anim. III, 8. 432 a 8: *ὅταν τε θεωρῇ, ἀνάγκη ἅμα φάντασμά τι θεωρεῖν.*

esse Aristoteles statuerit. Certe Plato materiam intellegibilem menti divinae non subtraxit, cum ideis, quas nos quidem cogitationes divinas esse nobis persuasimus, indiderit magnum et parvum, *τὸ μέγα καὶ τὸ μικρόν*.

Hae fere sunt difficultates quae inde oriuntur quod Aristoteles, quae ratio intellectui cum materia esset, nullo modo exposuit. Aliae autem inde nascuntur quod philosophus deum semper idem cogitantem nec umquam mutantem cogitationis obiectum facit. Vidimus supra cogitationem et ortum inter se opposita esse ita, ut quod cogitationis primum sit, ultimum sit ortus. Itaque motus operari semper incipit ab eo quod cogitationis est ultimum. Sed si deus semper idem cogitat, quomodo hic cogitationis regressus et progressus effectionis locum habere potest? Cui dubitationi similis est alia. Cum deus semper unum cogitet, ne progressus quidem ingenii humani eiusque cultus cogitare potest et animadvertere, quocirca etiam seponenda est sententia, quam nos quidem adamavimus: ita divinitus esse institutum, ut homines paullatim procedentibus temporibus propius propiusque accedant ad finem a deo propositum atque veram naturam humanam et in vita privata et in civitatis societate atque adeo in omnium hominum communione magis magisque exprimant ac repraesentent. Neque dicere licet sententiam eiusmodi ab Aristotele esse alienam, immo satis cernitur in eo quod hominem dicit esse animal politicum atque civitatem oriri quidem, ut homines vivere possint, constare autem, ut vita utantur bona atque perfecta [1]). Tamen utraque dubitatio removenda est, cum temporum cursus numen divinum prorsus non attingat, ita ut omnis omnino mutatio ab eo absit neque ei sint praeterita aut futura, sed praesentia omnia [2]).

---

[1]) Polit I, 2. 1252 b 29: *(πόλις) γινομένη μὲν οὖν τοῦ ζῆν ἕνεκεν, οὖσα δὲ τοῦ εὖ ζῆν.*

[2]) De caelo I, 9. 279 a 11: *ἅμα δὲ δῆλον ὅτι οὐδὲ τόπος οὐδὲ κενὸν οὐδὲ χρόνος ἐστὶν ἔξω τοῦ οὐρανοῦ· ἐν ἅπαντι γὰρ τόπῳ δυνατὸν ὑπάρξαι σῶμα· κενὸν δ' εἶναί φασιν ἐν ᾧ μὴ ἐνυπάρχει σῶμα, δυνατὸν δ' ἐστὶ γενέσθαι· χρόνος δ' ἀριθμὸς κινήσεως· κίνησις δ' ἄνευ φυσικοῦ σώματος*

Praeterea duo nobis sunt commemoranda. Aristoteles animam vult esse entelechiam corporis atque artissime cum eo cohaerere, ita ut una cum eo et nascatur et intereat. Attamen statuit partem esse animae, quae a corpore secreta sit atque substantia per se consistens: dico intellectum agentem [1]). Itaque quemadmodum durat corpore dissoluto, sic ante corpus natum est atque in procreatione intrat in id extrinsecus [2]). Idemque divinum quid in nobis est [3]). Itaque profectus sit necesse est ab intellectu summo. Atque hoc si sumimus, tum demum intellegitur, qui cognitio ac scientia nostra possit esse vera. Omnis enim cognitio et scientia e mente veritatem ducit, cum ex hac summa emanent cognitionis principia [4]). Atque inquirendo in res mens formas et substantias intellegit et quasi restituit veram earum naturam. Quam facultatem non haberet, nisi profecta esset a mente ea, quae formas cogitavit atque adduxit ad effectum. Nam unde suppeteret humanae mentis cognitioni veritas, nisi deus esset causa et essendi

---

οὐκ ἔστιν. ἔξω δὲ τοῦ οὐρανοῦ δέδεικται ὅτι οὔτ' ἔστιν οὔτ' ἐνδέχεται γενέσθαι σῶμα. φανερὸν ἄρα ὅτι οὔτε τόπος οὔτε κενὸν οὔτε χρόνος ἐστὶν ἔξωθεν· διόπερ οὔτ' ἐν τόπῳ τἀκεῖ πέφυκεν, οὔτε χρόνος αὐτὰ ποιεῖ γηράσκειν, οὐδ' ἐστὶν οὐδενὸς οὐδεμία μεταβολὴ τῶν ὑπὲρ τὴν ἐξωτάτω τεταγμένων φοράν, ἀλλ' ἀναλλοίωτα καὶ ἀπαθῆ τὴν ἀρίστην ἔχοντα ζωὴν καὶ τὴν αὐταρκεστάτην διατελεῖ τὸν ἅπαντα αἰῶνα. Cf. Plat. Tim. 37 E: ταῦτα δὲ πάντα μέρη χρόνου, καὶ τό τ' ἦν τό τ' ἔσται χρόνου γεγονότα εἴδη, ἃ δὴ φέροντες λανθάνομεν ἐπὶ τὴν ἀΐδιον οὐσίαν οὐκ ὀρθῶς. λέγομεν γὰρ δή, ὡς ἦν ἔστι τε καὶ ἔσται, τῇ δὲ τὸ ἔστι μόνον κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον προσήκει, τὸ δὲ ἦν τό τ' ἔσται περὶ τὴν ἐν χρόνῳ γένεσιν ἰοῦσαν πρέπει λέγεσθαι· κινήσεις γάρ ἐστον, τὸ δὲ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἔχον ἀκινήτως οὔτε πρεσβύτερον οὔτε νεώτερον προσήκει γίγνεσθαι διὰ χρόνου οὐδὲ γενέσθαι ποτὲ οὐδὲ γεγονέναι νῦν οὐδ' εἰσαῦθις ἔσεσθαι.

[1]) De anim. II, 4. 429 b 4: τὸ μὲν γὰρ αἰσθητικὸν οὐκ ἄνευ σώματος, ὁ δὲ χωριστός. II, 2. 413 b 24. III, 5. 430 a 22. Met. Λ, 3. 1070 a 24.

[2]) De gen. an. II, 3. 736 b 27: λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι καὶ θεῖον εἶναι μόνον. οὐθὲν γὰρ αὐτοῦ τῇ ἐνεργείᾳ κοινωνεῖ σωματικὴ ἐνέργεια.

[3]) Eth. Nic. X, 7. 1177 a 15: εἴτε θεῖον ὂν καὶ αὐτὸ εἴτε τῶν ἐν ἡμῖν θειότατον. b 30: εἰ δὴ θεῖον ὁ νοῦς πρὸς τὸν ἄνθρωπον, καὶ ὁ κατὰ τοῦτον βίος θεῖος πρὸς τὸν ἀνθρώπινον βίον.

[4]) Eth. Nic. VI, 6. Anal. post. II, 19. 100 b 8.

et cognoscendi? Sed quomodo hoc fieri potest, ut procreetur intellectus humanus a numine divino atque in corpus intret? Num motione quae a deo exoritur id potest effici? Tacuit de hac re Aristoteles, quemadmodum in universum non amat explicare quae explicari nequeunt; quocirca ne nos quidem comminisci volumus, quomodo philosophus rem sibi finxerit. Tamen dicendum est contra Themistium, qui luminis similitudine usus, quam Aristoteles ob aliam causam protulit, putat, sicuti sol sit unus, lux autem discedat in radios, sic intellectum quoque esse unum, sed in multos abeuntem. Itaque si cum eo facimus, hominum intellectus agentes et intellectus divinus inter se non differunt. Quo etiam Zelleri sententia inclinat [1]), quamvis homo doctissimus quid ei obstet optime intellexerit. Sed cum Aristoteles intellectus agentes in animis hominum inesse dicat [2]), si illam Themistii sententiam amplectimur, inducimur in pantheismum, quem a doctrina Aristotelea abhorrere satis comprobatur loco uno qui est Met. *Λ*, 10 in. [3]). Itaque nos quidem nobis persuasimus intellectus agentes esse singulos singulorum hominum, originem vero habere a numine divino [4]). Similiter Aristoteles nobis videtur etiam planetarum

---

[1]) Philos. d. Griech. II, 2. p. 440: „Die thätige Vernunft ist mit Einem Wort nicht allein das Göttliche im Menschen, sondern sie ist der Sache nach von dem göttlichen Geiste selbst nicht verschieden; denn wenn sie auch als individuelle mit dem Keim seiner körperlichen und seelischen Natur in den Einzelnen eingeht, wird sie doch zugleich so beschrieben, dass diese Beschreibung nur auf den allgemeinen Geist passt.“

[2]) De anim. II, 2. 413 b 24: *περὶ δὲ τοῦ νοῦ καὶ τῆς θεωρητικῆς δυνάμεως οὐδέν πω φανερόν, ἀλλ᾽ ἔοικε ψυχῆς γένος ἕτερον εἶναι, καὶ τοῦτο μόνον ἐνδέχεται χωρίζεσθαι, καθάπερ τὸ ἀΐδιον τοῦ φθαρτοῦ.* III, 5. in.: *Ἐπεὶ δ᾽ ὥσπερ ἐν ἁπάσῃ τῇ φύσει ἐστί τι τὸ μὲν ὕλη ἑκάστῳ γένει, . . . , ἕτερον δὲ τὸ αἴτιον καὶ ποιητικόν, . . . ἀνάγκη καὶ ἐν τῇ ψυχῇ ὑπάρχειν ταύτας τὰς διαφοράς. καὶ ἔστιν ὁ μὲν τοιοῦτος νοῦς τῷ πάντα γίνεσθαι, ὁ δὲ τῷ πάντα ποιεῖν.*

[3]) *Ἐπισκεπτέον δὲ καὶ ποτέρως ἔχει ἡ τοῦ ὅλου φύσις τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ ἄριστον, πότερον κεχωρισμένον τι καὶ αὐτὸ καθ᾽ αὐτό, ἢ τὴν τάξιν; ἢ ἀμφοτέρως ὥσπερ στράτευμα. καὶ γὰρ ἐν τῇ τάξει τὸ εὖ καὶ ὁ στρατηγός, καὶ μᾶλλον οὗτος· οὐ γὰρ οὗτος διὰ τὴν τάξιν ἀλλ᾽ ἐκείνη διὰ τοῦτόν ἐστιν.*

[4]) Cf. Plat. Tim. 41 C sqq.

motores voluisse a deo esse profectos, pariter atque Plato putat reliquos deos omnes factos esse a deo summo [1]). Nam hoc si non statuisset Aristoteles, tota doctrina claudicaret, cum principii unitas prorsus tolleretur, neque Met. *Λ*, 10. ex., postquam in capite octavo quot stellarum motores sumendi essent explicuit, dicere poterat: *οἱ δὲ λέγοντες τὸν ἀριθμὸν πρῶτον, τὸν μαθηματικὸν καὶ οὕτως ἀεὶ ἄλλην ἐχομένην οὐσίαν καὶ ἀρχὰς ἑκάστης ἄλλας, ἐπεισοδιώδη τὴν τοῦ παντὸς οὐσίαν ποιοῦσιν (οὐθὲν γὰρ ἡ ἑτέρα τῇ ἑτέρᾳ συμβάλλεται οὖσα ἢ μὴ οὖσα) καὶ ἀρχὰς πολλάς· τὰ δὲ ὄντα οὐ βούλεται πολιτεύεσθαι κακῶς.*

„οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος."

Ut paucis comprehendamus quae proxime exposita sunt, cogitat deus formarum ac substantiarum summam atque ad effectum eas adducit motione; cogitat autem semper unum idemque, cum extra temporum cursus sit positus, ita ut mutatio nullo modo eum attingat. Itaque neque fuit neque erit numini divino quidquam, sed praesentia sunt omnia. Minime vero ignoramus, quicunque de hac re disseruerint alia atque nos statuere. Itaque iam progrediendum nobis est ad sententias aliorum considerandas et examinandas. Ac primum quidem plerique dictum illud Aristoteleum: mentem divinam semet ipsam cogitare atque cogitationem eius esse cogitationis cogitationem, ita intellexerunt, ut deus apud Aristotelem non perciperet nisi suam ipsius naturam, h. e. ut a cogitaret a. Quo adducti eo sunt, ut mera vi attractiva deum movere putarent atque res originem a deo habere illo neque volente neque sciente. Contra quam sententiam satis est provocare ad ea quae de causae finalis apud Aristotelem natura a nobis disputata sunt. Omnino vero quaerendum est, cur Aristoteles rerum principium esse statuerit mentem, si volebat eam non alio movere modo atque vim caecam. Multis praeterea maximam habere videtur difficultatem, quod Aristoteles dicit deum movere rei appetibilis et cogitabilis instar [2]). Putant enim

[1]) L. l. 41 A.

[2]) Met. *Λ*, 7. 1072 a 24: *τοίνυν ἔστι τι ὃ οὐ κινούμενον κινεῖ, ἀΐδιον*

appetibile illud et cogitabile res esse extra nos positas, a quibus quasi attrahamur et alliciamur. Neque negari potest, hoc si verum sit, summam doctrinae Aristoteleae labefactari. At supra satis demonstrasse nobis videmur intellegenda esse obiecta appetitus et cogitationis, quatenus in nobis ipsis insint, h. e. quatenus cogitentur. Itaque si deus movet eodem quo appetibile modo, movet cogitationis instar, quae ipsa immota appetitum et corporis motum suscitat ac moderatur.

Sed liceat nonnullorum afferre sententias. Atque incipere lubet a Ravaissone, homine Francogallico. Is Aristotelem putat deum cogitantem facere nil nisi semet ipsum. Ait enim: „L'intelligence ne peut donc pas plus être au-dessus qu'au dessous de son objet: elle est à elle-même son objet unique. Et en effet, si l'identité de l'intelligence et de l'intelligible est dans l'unité simple d'un seul et même acte, comment l'intelligence absolue pourrait-elle penser autre chose que l'acte qui fait à la fois tout l'être de son objet et tout son être à elle-même? Il n'y a donc rien dans l'intelligence spéculative ou absolue, que l'action de la pensée qui se pense elle-même sans changement comme sans repos, et la pensée véritable est la pensée de la pensée [1]." Atque loco alio: „Mais Dieu ne se mêle pas pour cela au monde, dans les régions de l'âme non plus que dans celles de l'espace et des corps; Dieu demeure tout en lui-même, et la pensée de la pensée ne sort pas de la pensée [2]." Itaque naturam quasi seiungit a deo atque vult illam esse vim providam, quae omnia efficiat ac procreet ratione summi boni habita, a quo attrahatur. Quod satis cognoscitur ex his: „Mais de même que ce n'est pas Dieu qui pense tout ce qui est autre que sa pensée même, de même ce n'est pas lui qui ordonne pour lui-même tout ce qui est autre que lui. Ce n'est pas la raison spéculative qui dispose; c'est la raison pratique, la pensée artiste et archi-

---

καὶ οὐσία καὶ ἐνέργεια οὖσα. κινεῖ δὲ ὧδε τὸ ὀρεκτόν, καὶ τὸ νοητόν κινεῖ οὐ κινούμενον.

[1]) Félix Ravaisson. Essai sur la Métaphysique d'Aristote. I. p. 585.

[2]) I. p. 593.

tectonique qui prépare tout pour elle. Dieu ne descend point à gouverner les choses; c'est à la nature qu'appartient l'architectonique du monde; c'est elle qui dispose en vue du bien suprême dont elle est attirée, qui fait sortir partout le meilleur du possible, et qui répand partout, comme une providence vigilante, la proportion, l'harmonie et la beauté [1]).“

Videmus igitur hominem doctum naturam quasi iuxta deum ponere idque eo modo, ut illa rationis particeps omnium rerum effectrix sit atque creatrix, contra deus nil nisi semet ipsum cogitet. Quod si statuendum est, negare non possumus totam doctrinam Aristoteleam vacillare et claudicare, cum principii unitas desideretur atque maximo opere sit verendum, ne deus habendus sit pro inutili ac supervacaneo. Sed primum quaerendum est, quid Aristoteli sit natura. Ac primariam quidem et propriam huius vocabuli notionem si respicimus, natura est forma et substantia rerum quae principium motionis et quietis in se habent [2]). Itaque ubi Aristoteles naturam vocat universam procreandi et augendi vim quae in huius mundi rebus inest, ita ut proxime accedat ad significationem quam nos voci illi subicere solemus, intellegenda est summa formarum ac substantiarum quae in rebus agunt et operantur. Sed si quid in me est intellegentiae, formae ipsae sive fines repetendi sunt a numine divino, ita ut naturam credere non liceat causam esse sui, immo originem habere ab intellectu summo. Quod iam Vaterus vidit. Cuius conferre licet haec: „Iam redeamus ad naturam. A nostro loquendi usu non abhorret, legum naturalium, quibus singula teneantur, singularumque naturarum quasi summam naturam dicere. Hoc significatu saepissime in Aristotele invenimus *τὸ κατὰ φύσιν εἶναι*. Cui si naturae propter admirabilem, quem conspicimus, quique a summi artificis consilio profectus videtur, rerum

---

[1]) I. p. 593 sq.

[2]) Met. *Δ*, 4. 1015 a 13: *ἐκ δὴ τῶν εἰρημένων ἡ πρώτη φύσις καὶ κυρίως λεγομένη ἐστὶν ἡ οὐσία ἡ τῶν ἐχόντων ἀρχὴν κινήσεως ἐν αὐτοῖς ᾗ αὐτά.* Polit. I, 2. 1252 b 32: *ἡ δὲ φύσις τέλος ἐστίν· οἷον γὰρ ἕκαστόν ἐστι τῆς γενέσεως τελεσθείσης, ταύτην φαμὲν τὴν φύσιν εἶναι ἑκάστου.*

ordinem mens et ratio tribuitur: species numinis exsistit, quod leges illas cogitatione perpenderit. Ita saepe *νοῦς* cum *φύσει* iungitur in scriptis Aristoteleis. Sive necesse sit, illo numine intellecto, totius naturae hunc auctorem constitui, sive non sit: Aristoteles eiusmodi universi auctorem intellexit, qui dederit leges unicuique rei sequendas, quique quasi institutis suis, ut instrumento in efficiendis rebus utatur; cum de corpore illo caelesti eiusque motu loquens pergat: Deus et Natura nihil, quod plane superfluum esset, effecerunt. Locus, ni fallor, manifestus est: Deus naturae auctor esse dicitur" [1]). Pariter Brandisius naturam vult originem habere a deo. Quae vero ratio naturae cum numine divino intercedere videatur, exponit his: „Dürfen wir nun annehmen, dass Aristoteles dem göttlichen Gedanken Causalität in der Welt beimisst, und bezeichnet er ausdrücklich die Gottheit als das Gute und Vollkommene, dem Alles als dem höchsten Ziele nachstrebe: so möchte er in folgender Weise zugleich Sonderung und Einigung einer göttlichen und einer Natursächlichkeit sich gedacht haben. Die den Art- und Gattungsbegriffen, jedoch ihnen keineswegs ausschliesslich, zu Grunde liegenden ursprünglichen Energien sind dem Reiche des Werdens und der Veränderungen eingesenkte göttliche Gedanken, die sich in den Einzelwesen oder durch sie fortpflanzen und nach Massgabe des Stoffes in welchem und der Verhältnisse unter denen sie sich jedesmal verwirklichen, mehr oder weniger vollkommen sich entwickeln. Die Einzelwesen sind die Träger der in ihnen fortwirkenden ursprünglichen Energie und in ihrer Entwickelung in so fern von der göttlichen Endursache geleitet, in wie fern sie den Trieb haben den der Art und Gattung zu Grunde liegenden göttlichen Gedanken so rein darzustellen, wie der Stoff es verstattet, vermittelst dessen sie sich verwirklichen. Der Mensch aber unterscheidet sich von den übrigen lebenden Wesen dadurch, dass er als Einzelwesen einer göttlichen Energie, der des Denkens,

---

[1]) Vater. Theologiae Aristoteleae vindiciae, p. 45 sq.

theilhaft ist, welche ewig, weil göttlich, die mit dem Art- und Gattungsbegriffe sich fortpflanzenden Funktionen zwar zu beherrschen, aber nicht zu verewigen vermag. Als göttlich wird daher der ewige Bestand der Art und Gattungsbegriffe bezeichnet, weil unmittelbar auf das göttliche Denken zurückzuführen; ebenso was vorzugsweise in der Entwickelung des Art- und Gattungsbegriffs auf den göttlichen Ursprung zurückweist. Dagegen wird bald der göttlichen bald der Naturursächlichkeit beigemessen das Streben nach dem jedesmal thunlichen Besseren; ersterer als dem Urquell dieses den Dingen und Wesen zugleich mit den ihnen zu Grunde liegenden ursprünglichen Energien eingepflanzten Strebens; letzterer als dem Inbegriff der sich durch sich selber entwickelnden Energien. Ob Aristoteles aber diesen Inbegriff als einheitliche Naturkraft hypostasirt, oder unter Natur nur die von der göttlichen Einheit abhängige Gesammtheit harmonischer Entwickelungen der ursprünglichen Energien in der Welt der Veränderungen verstanden habe, wage ich nicht zu entscheiden. Im einen wie im andren Falle konnte er die Möglichkeit eines Widerstreits der göttlichen und Naturcausalität nicht denken und musste die göttliche Ursächlichkeit für den letzten unbedingten Grund der Weltordnung halten“ [1]).

Profecto non licet deum in illam, quamvis sublimis esse videatur, relegare solitudinem, ita ut nihil aliud ab omni aeternitate nisi „Actus sum, intellectus, aeternus atque beatus“ cogitet, contra natura per se agens et operans omnia efficiat ac procreet. Tamen fere idem etiam Henricus Martinus, egregius ille Timaei dialogi interpres, de deo Aristoteleo sentit; quod satis apparet ex his: „Le dieu d'Aristote, c'est le souverain bien, se pensant lui-même éternellement: tout tend vers lui, parce qu'il est le bien; il meut comme le désirable et l'intelligible attirent notre âme, et de cette attraction naît éternellement l'ordre du monde, dont lui-même est la

---

[1]) Brandis. Gr. — roem. Phil. II, 2. 2. p. 1316 sq.

perfection en acte. Mais lui-même ne crée pas, n'organise pas, ne s'occupe pas des choses hors de lui.“ Atque loco alio ait: „Si le dieu de Platon n'est point créateur dans toute l'étendue du sens que nous donnons à ce mot, celui d'Aristote est encore plus éloigné de l'être. Car c'est sans intention, sans volonté, par une simple puissance attractive, qu'il est la cause nécessaire de l'ordre éternellement produit dans la matière, qui est supposée éternelle comme lui, et dont il n'est pas l'auteur: le bien vient de lui, mais sans qu'il le veuille [1]).“

Cuius sententiam similem etiam Victor Cousinus significat his: „Si le premier moteur immuable est nécessaire, il est bon, ce qui ne veut pas dire qu'il possède l'attribut moral de la bonté, mais qu'il possède le bien, le bonheur parfait. Ainsi, tout bonheur vient de Dieu, qui en est le principe suprême; mais Aristote ne dit point que Dieu le répand lui-même par sa volonté [2]).“

Neque alia statuit Zellerus. Cuius hominis doctissimi sententia satis apparet ex his: „Den Gegenstand des göttlichen Denkens kann seiner bestimmten und ausführlich begründeten Erklärung zufolge nur Gott selbst bilden; die endlichen Dinge können nicht blos als diese einzelnen nicht darin vorkommen, sondern auch die Artbegriffe oder Formen, welche das innere Wesen derselben ausmachen, müssen ihm fern bleiben, da sie doch immer ein Anderes, als er selbst, wären und tief unter dem ständen, was er allein denken kann, dem Göttlichen und Vollkommensten [3]). Gott ist also das erste Bewegende nur sofern er der absolute Zweck der Welt ist, gleichsam der Regent, dessen Willen Alles gehorcht, der aber nicht selbst Hand anlegt“ [4]).

Contra Henricus Ritterus in numine divino inesse notiones et formas omnes existimare videtur, cum dicat: „Eins und dasselbe aber ist das vom Verstande Gedenkbare und der

---

[1]) Henry Martin. Etudes sur le Timée de Platon I. p. 23 et II. p. 207.
[2]) Victor Cousin. Oeuvres de Platon. Tom XII. p. 342.
[3]) Phil. d. Gr. II, 2. p. 284.
[4]) L. l. p. 280.

Verstand oder die Vernunft oder der Geist, wie man auch das höchste und vollkommenste erkennende Wesen nennen mag. Denn das was das Wesen und das vom Verstande Gedenkbare aufzunehmen vermag, ist die Vernunft, und die Energie ist sie, wenn sie es besitzt, und daher besteht in der Vernunft mehr als in dem Gedenkbaren das, was die Vernunft Göttliches zu besitzen scheint. So findet sich in der Idee des ersten Bewegers eine vollkommene Vereinigung des Gegenstandes der Wissenschaft mit dem wissenschaftlichen Erkennen gesetzt, welche Aristoteles nur auf eine etwas andere Weise ausdrückt als Platon; denn ihm ist Gott nicht die höhere Einheit, welche über dem Wesen und der Vernunft steht, sondern die Vernunft selbst, welche aber auch zugleich das Wesen ist, das nur durch den Verstand Gedenkbare, welches nicht aus Form und Materie zusammengesetzt, sondern einfach und nur der Energie nach ist. Deswegen wird er auch schlechthin das in dem Begriff ausgedrückte Was, das Wesen der Dinge genannt, und nicht minder das Beste, der Zweck aller Dinge, genug er vereinigt in sich Alles, was Gegenstand der Wissenschaft sein kann; in ihm ist Erkennendes und Erkanntes Eins. In ihm ist daher auch die Fülle alles Seins“ [1]. Attamen non ex his formis, quae in mente divina insunt, vir eruditissimus harum rerum originem repetit, immo vult deum apud Aristotelem concedere tantum, ut formae in his rebus nascantur. Itaque deus minime rerum orientium est causa. Quod Ritterus disertis verbis dicit: „Nur darin, was diesen Punkt betrifft, unterscheidet sich die Lehre des Aristoteles, von der seines Lehrers, dass sie nicht in der Natur der untergeordneten Dinge nach dem Grunde der weltlichen Unvollkommenheit forscht, sondern ohne weitere künstliche Erklärungsversuche die Materie und das Werden von Ewigkeit her neben Gott bestehen lässt. Dadurch soll nun zwar die Thätigkeit Gottes in sich, sein unveränderliches Beschaun seiner selbst, nicht beschränkt werden, aber

[1]) H. Ritter. Gesch. d. Ph. III. p. 188.

wohl erscheint er in einem etwas fremden Verhältnisse zu den Dingen der Welt. Denn er gibt ihnen nicht ihr Vermögen zu sein und zu werden; dies Vermögen liegt vielmehr in der Materie; nur dass sie zu einer bestimmten Wirklichkeit gelangen, kann als eine Wirksamkeit Gottes in der Welt angesehen werden. Und auch hierzu verhält sich Gott einigermassen gleichgültig. Denn zwar indem er als vollendetes Leben und Thätigkeit gedacht wird, steht er dem Leben in der Welt näher als der Platonische Gott, und indem er als der bewegende Grund der Dinge bezeichnet wird, scheint er demselben noch näher zu treten; fragen wir aber, wie und wodurch er die Welt bewegt, so zeigt es sich doch, dass er nicht selbstthätig in die Weltbildung eingreift, sondern nur die Entstehung der Formen in den bewegten Dingen geschehen lässt. So wahr auch der Gedanke ist, dass Gott als das Gute und Begehrungswerthe die Dinge bewegt, indem er von ihnen begehrt wird, so muss man doch wohl gestehen, dass diesem Gedanken noch irgend eine ergänzende Bestimmung fehle, wenn es nicht scheinen soll, als bewegte nicht sowohl Gott die Welt, als vielmehr die Welt bewegte sich selbst, indem sie Gott begehrte“ [1]).

Deum summam esse rerum causam statuit Brandisius, cum existimet rerum formas esse cogitationes dei, quae naturam suam magis magisque in materia exprimentes rerum mutationes efficiant. Quae sententia ut magis appareat, satius ducimus hominis doctissimi verba apponere haec: „Zwar dass alle Wesenheiten auf lebendige göttliche Gedanken zurückgeführt und diese als die einfachen, ihnen zu Grunde liegenden Träger der konkreten Wesenheiten und ihrer Veränderungen betrachtet werden sollen, brauchte wohl kaum ausdrücklich ausgesprochen zu werden, und wird durch die Frage angedeutet: erreichte er (der göttliche Geist) nichts durch sein Denken, wo bliebe da seine Würde? [2]) Auch dürfen wir

---

[1]) L. l. p. 202 sq.

[2]) Quibus Brandisius reddit quae leguntur Met Λ, 9. 1074 b 17: εἴτε

wohl annehmen, Aristoteles habe — ein Vorläufer der Leibnitzischen Monadenlehre — die Veränderungen in oder an den Einzelwesen auf Selbstentwickelung der ihnen zu Grunde liegenden göttlichen Gedanken und die Hemmungen und Störungen in dieser Selbstentwickelung auf ihr Gebundensein an Stoff oder Vermögen, die harmonischen Wechselbeziehungen in den Entwickelungen der verschiedenen Einzelwesen, mit Vorahnung des Begriffs einer harmonia praestabilita, auf die Einheit und Vollkommenheit ihres gemeinsamen letzten Grundes, des unbedingten göttlichen Geistes, zurückzuführen mehr oder weniger bestimmt beabsichtigt" [1]). Quae sententia reliquis propius ad nostram accedit. Sed vir eruditissimus ne periculum quidem fecit eius cum verbis Aristotelis conciliandae; itaque num inde duci possit adhuc dubitare licet. Sunt etiam, quae quominus idem sentiamus obstare videantur. Primum enim, si quae Aristoteles de intellectu et divino et humano profert consideramus, vix persuadere nobis possumus cogitationes segregari posse a mente. Itaque si cum Brandisio cogitationes dei in rebus ipsis inesse statuimus, ne incidamus in pantheismum, quem a ratione Aristotelea alienum esse iam supra monuimus, magno opere est verendum. Deinde cum Aristoteles omnem mutationem motumque a cogitatione dei abesse dicat, rerum mutationes vix repetere licet e cogitationibus divinis magis magisque suam naturam in illis exprimentibus ac repraesentantibus [2]).

Postremo afferamus sententiam Kymii qui placitum illud Aristoteleum: dei cogitationem esse cogitationis cogitationem, ita intellegit, ut deus cogitando rerum et formas et materiam procreet. Ait enim: „Es ist richtig, dass Aristoteles Gott als reinen Geist bestimmt, dessen Thätigkeit lediglich darin aufgeht, dass er sich selber denkt . . . . . Indess auch diese Fassung setzt den göttlichen Geist noch keinesweges in einen

γὰρ μηδὲν νοεῖ, τί ἂν εἴη τὸ σεμνόν. Sed illam sententiam in his verbis inesse non posse vere iam monuit Zellerus, cf. Phil. d. Gr. II, 2. p. 283.

[1]) Brandis. Gr. — roem. Phil. II, 2. p. 575.

[2]) Cf. Zeller. Phil. d. Gr. II, 2. p. 284 sq.

Zwiespalt mit der Welt; denn das göttliche Denken ist kein bedingtes, sondern ein schöpferisches, in dem Sinne, dass dadurch nicht bloss die Form, sondern auch das Wesen des Gegenstandes mitgesetzt wird. Gottes Denken ist ein solches, das den Gegenstand auch dem Stoffe nach aus sich schöpft; Gottes Denken ist vom Gegenstande nicht getrennt, wie das menschliche, sondern es ist der Gegenstand selbst nach Seiten seines Inhalts. Das menschliche Denken ist stets an den Gegenstand gebunden, den es denkt, es ist insofern bedingt, als es den Gegenstand nicht zugleich stofflich erzeugen kann, sondern nur als gegebenen zu entwickeln und nachzudenken im Stande ist" [1]).

Contra quam sententiam satis est provocare ad Phys. I, 9. 192 a 25, ubi Aristoteles materiam neque fieri neque interire posse comprobare studet. Itaque nullo modo illud philosophiae Christianae placitum: materiam a cogitatione divina profectam esse, in rationem Aristoteleam convenit. Praeterea cogitationis cogitationi, cum etiam in intellectum cadat humanum, non licet tribuere vim eam, ut procreet res concretas.

Priusquam disputationis finem facimus, unum est addendum. Si vera sunt quae de deo Aristoteleo exposuimus, summa Platonicae et Aristoteleae doctrinae fastigia inter se congruunt. Etenim apud Platonem deus intuetur mundum intellegibilem et quae ideae eo continentur, et ad hoc exemplar mundum sensibilem efficit; atque apud Aristotelem deus formas ac substantias cogitat easque motione adducit ad effectum. Itaque si ideas putamus esse cogitationes numinis divini, Plato et Aristoteles re inter se non differunt. Et tamen Aristoteles ubique occasione oblata impugnat idearum doctrinam. Nonne igitur ab hac parte admodum laborat sententia nostra? At tum demum Plato et Aristoteles inter se conveniunt, si ideas sumimus esse cogitationes dei. Sed si quae ab Aristotele contra ideas monentur respicimus, Aristotelem hanc senten-

---

[1]) Kym. Die Gotteslehre des Aristoteles und das Christenthum. Cf. p. 19sq.

tiam idearum doctrinae subiecisse vix credemus. Accedit autem aliud quid. Aristoteles ob hanc maxime causam magistrum vituperat, quod ideis desit causa efficiens; dicere autem ideas esse rerum exemplaria, nihil aliud esse nisi nugari atque metaphoras proferre poeticas. Quis enim est, ait, qui ideas intuens secundum eas operetur? Quae quidem quaestio eiusmodi est, ut ipsis Platonis verbis optime possis respondere[1]). Deus enim est, qui ad idearum exemplar res sensibiles efficit atque componit. Itaque tale quid ab Aristotele proferri admodum mirum est. Atque multi homines docti id mirati sunt, veluti Victor Cousinus, qui ait: „Par exemple, dans le premier livre de la Métaphysique, chapitre V., Aristote accuse Platon de n'admettre que deux principes sur les quatre qu'il établit, à savoir, celui de l'essence et celui de la matière. Comment! Platon n'a pas admis ce troisième principe qu'Aristote appelle *ἀρχὴ κινήσεως, τὸ αἴτιον*, et que Platon appelle ici *τὸ ὅθεν*[2]), le principe de la cause?“ At non satis est mirari, sed explicandum est, quomodo fieri potuerit, ut Stagirites tam immerito quid magistro crimini daret. Apparet autem Aristotelem ita disputare, quasi in doctrina Platonica desit numen divinum. Idemque cognoscere licet ex argumentis quae ab Aristotele contra ideas proferuntur tantum

---

[1]) Conf. inter se haec: Arist. Met. A, 9. 991 a 20: *τὸ δὲ λέγειν παραδείγματα αὐτὰ εἶναι καὶ μετέχειν αὐτῶν τἆλλα κενολογεῖν ἐστὶ καὶ μεταφορὰς λέγειν ποιητικάς. τί γάρ ἐστι τὸ ἐργαζόμενον πρὸς τὰς ἰδέας ἀποβλέπον;* et Plat. Tim. p. 28 C: *τόδε δ' οὖν πάλιν ἐπισκεπτέον περὶ αὐτοῦ, πρὸς πότερον τῶν παραδειγμάτων ὁ τεκταινόμενος αὐτὸν ἀπειργάζετο, πότερον πρὸς τὸ κατὰ ταὐτὰ καὶ ὡςαύτως ἔχον ἢ πρὸς τὸ γεγονός. εἰ μὲν δὴ καλός ἐστιν ὅδε ὁ κόσμος ὅ τε δημιουργὸς ἀγαθός, δῆλον, ὡς πρὸς τὸ ἀΐδιον ἔβλεπεν.*

[2]) Respicit homo doctus Plat. Tim. p. 50 D: *καὶ δὴ καὶ προσεικάσαι πρέπει τὸ μὲν δεχόμενον μητρί, τὸ δ' ὅθεν πατρί, τὴν δὲ μεταξὺ τούτων φύσιν ἐκγόνῳ.* Quid autem sit *τὸ ὅθεν*, satis explicatur verbis antecedentibus: *ἐν δ' οὖν τῷ παρόντι χρὴ γένη διανοηθῆναι τριττά, τὸ μὲν γιγνόμενον, τὸ δ' ἐν ᾧ γίγνεται, τὸ δ' ὅθεν ἀφομοιούμενον φύεται τὸ γιγνόμενον.* Egregie igitur fallitur Cousinus, quod illa formula causam efficientem significari opinatur, cum intellegenda sit causa formalis sive idea.

non omnibus. Sed omnia illa percensere alius est disputationis. Itaque non plura addere volumus, quam quae satis esse videntur ad comprobandum, non temere illam sententiam a nobis esse propositam.

Saepius apud Aristotelem legimus, quod Plato res sensibiles idearum esse participes dicat, vanum esse atque inane[1]). Iam ut intellegamus, quam habeat significationem illud Platonicum, res sensiles participare ideas, utamur exemplo quod iam supra attulimus. Deus ex Platonis sententia visum nobis largitus est, ut hac rerum universitate cognita atque firmis et constantibus stellarum meatibus observatis ad philosophiam et animae harmoniam perveniremus. Atque idem iudicandum est de lingua et auditu, quandoquidem et linguae usus et sonorum eorumque harmoniae perceptio plurimum valent ad sedandas atque compescendas animi perturbationes[2]). Deus igitur hominem ubi creavit cogitatione sibi finxit eum, ut anima uteretur sapientiae et harmoniae plena. Haec fuit hominis idea atque ad hanc deus hunc hominem sensilem composuit addiditque visum et auditum ac linguam, ut et posset pervenire ad finem propositum et incitaretur ac stimularetur ad illum persequendum. Iam apparet quid sibi velit illud hominem participare ideam. Effecit enim deus hominis naturam eam, ut ideae respondeat atque in ipso insit et facultas et studium illius in se magis magisque exprimendae. Simul vero ex his intellegitur, apud Platonem ideis contineri causam finalem. Is enim hominis finis est, ut naturam suam magis et magis accommodet ad ideam et hanc in semet ipso repraesentet; atque ob hanc causam utitur visu, auditu, lingua. Sic etiam apud Platonem quae inferioris sunt ordinis serviunt potioribus praestantioribusque, in quo causae finalis natura magna ex parte consistit. Et tamen Aristoteles reprehendit magistri doctrinam, quod in ea causa finalis desideretur[3]).

---

[1]) Met. A, 9. 992 a 28: *τὸ γὰρ μετέχειν, ὥσπερ καὶ πρότερον εἴπομεν, οὐθέν ἐστιν.*

[2]) Plat. Tim. 46 D.

[3]) Met. A, 7. 988 b 6. c. 9. 992 a 29.

Neque minus ex his apparet, quomodo summa illa idea, dico ideam boni, quamvis transcendens sit et constet per sese, tamen vim habeat in morali hominum vita. Ita enim mens humana a numine divino instituta est, ut ideam illam et cognoscere et secundum eam agere possit. Itaque ne hoc quidem recte se habet, ideam boni nihil ad ethica conferre, quia neque actionis neque possessionis obiectum esse possit [1]. Sic facillime refelluntur quae ab Aristotele dicuntur contra magistrum. Sed tolle in doctrina Platonica deum, et statim ideis deest causa efficiens atque inanis est metaphora res sensiles participare ideas neque amplius idea continet rerum finem aut idea boni quidquam ad moralia valet, cum rebus sensibilibus cum ideis necessitudo auferatur omnis.

Quod autem Aristoteles dei apud Platonem rationem habeat prorsus nullam, causam quis credere possit sitam esse in eo quod Plato in Timaeo dei naturam non in modum disciplinae philosophae exponat atque describat, sed depingat eum humani artificis instar, ita ut magis mythicae narrationis quam doctrinae philosophae sit. Sed vix hoc concedendum esse putamus, cum etiam in aliis dialogis, ubi illa suspicio locum habere prorsus nequit, Plato et in universum causam efficientem statuat et doceat summam causam esse deum [2].

---

[1]) Eth. Nic. I, 4. 1096 b 32: *ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τῆς ἰδέας· εἰ γὰρ καὶ ἔστιν ἕν τι τὸ κοινῇ κατηγορούμενον ἀγαθὸν ἢ χωριστόν τι αὐτὸ καθ᾽ αὑτό, δῆλον ὡς οὐκ ἂν εἴη πρακτὸν οὐδὲ κτητὸν ἀνθρώπῳ.*

[2]) Phileb. 26 E: *Ἀλλὰ δὴ πρὸς τρισὶ τέταρτόν τι τότε ἔφαμεν εἶναι γένος σκεπτέον. κοινὴ δ᾽ ἡ σκέψις· ὅρα γάρ, εἴ σοι δοκεῖ ἀναγκαῖον εἶναι πάντα τὰ γιγνόμενα διά τινα αἰτίαν γίγνεσθαι.* 27 B: *Τὸ δὲ δὴ πάντα ταῦτα δημιουργοῦν λέγωμεν τέταρτον, τὴν αἰτίαν, ὡς ἱκανῶς ἕτερον ἐκείνων δεδηλωμένον; ΠΡΩ. Λέγωμεν γὰρ οὖν.* 28 D: *Πότερον, ὦ Πρώταρχε, τὰ ξύμπαντα καὶ τόδε τὸ καλούμενον ὅλον ἐπιτροπεύειν φῶμεν τὴν τοῦ ἀλόγου καὶ εἰκῇ δύναμιν καὶ τὸ ὅπῃ ἔτυχεν, ἢ τἀναντία, καθάπερ οἱ πρόσθεν ἡμῶν ἔλεγον, νοῦν καὶ φρόνησίν τινα θαυμαστὴν συντάττουσαν διακυβερνᾶν; ΠΡΩ. Οὐδὲν τῶν αὐτῶν, ὦ θαυμάσιε Σώκρατες. ὃ μὲν γὰρ σὺ νῦν δὴ λέγεις, οὐδ᾽ ὅσιον εἶναι μοι φαίνεται· τὸ δὲ νοῦν πάντα διακοσμεῖν αὐτὰ φάναι καὶ τῆς ὄψεως τοῦ κόσμου καὶ ἡλίου καὶ σελήνης καὶ ἀστέρων καὶ πάσης τῆς περιφορᾶς ἄξιον, καὶ οὐκ ἄλλως ἔγωγ᾽ ἄν ποτε περὶ αὐτῶν εἴποιμι οὐδ᾽ ἂν δοξάσαιμι.*

Itaque res explicanda est ratione alia. Constat autem Aristotelem non respicere doctrinam Platonicam, qualis in dialogis nobis servatis obvia fiat, sed eam quae iam aliqua ex parte mutata fuerit et iam propius accesserit ad philosophiam Pythagoricam. Itaque equidem suspicor aut Platonem ipsum exeunte aetate aut discipulos eius divinum numen postposuisse atque priores partes concessisse ideis.

Excursus I.

Disputandum nobis est de Met. Z, 7. 1032 b 28 seqq.: *τοῦτο δ' ἔσχατον τὸ ποιοῦν, καὶ τὸ οὕτως μέρος ἐστὶ τῆς ὑγιείας καὶ τῆς οἰκίας, οἷον οἱ λίθοι, καὶ τῶν ἄλλων. ὥστε καθάπερ λέγεται, ἀδύνατον γενέσθαι εἰ μηθὲν προϋπάρχοι. ὅτι μὲν οὖν τι μέρος ἐξ ἀνάγκης ὑπάρξει, φανερόν· ἡ γὰρ ὕλη μέρος· ἐνυπάρχει γὰρ καὶ γίγνεται αὕτη.* Ne simus longi, sana verba esse nobis videntur usque ad: *καὶ τὸ οὕτως μέρος ἐστὶ τῆς ὑγιείας*, atque iis sententiam subiciendam esse putamus hanc: hoc ultimum autem est id quod efficit, scil. sanitatem, et quod ita se habet, scil. ut sanitatem efficiat (*τὸ οὕτως*, cf. formulas *τὸ καλῶς, τὸ κακῶς, τὸ εὖ*), pars sanitatis est. Quae si vera sunt, praestat recipere scripturam codicis A[b]: *τοῦτο δ' ἔσχατόν ἐστι τὸ ποιοῦν.* Atque fortasse etiam in sententia sequenti quae in A[b] et H[b] codicibus reperiuntur reliquorum scripturae praeferenda sunt. Legitur enim in utroque: *καὶ τὸ οὕτως ἐστὶ τὸ μέρος τῆς ὑγιείας*, ita ut *τὸ μέρος* sit subiectum: atque pars sanitatis est id quod hoc modo se habet, scil. ut sanitatem efficiat. Iam quaeritur, quid sit illud ultimum, *τοῦτο δ' ἔσχατον.* Profecto id quod ultimum est cogitationis quodque efficere est penes medicum, cf. 1032 b 8: *καὶ οὕτως ἀεὶ νοεῖ, ἕως ἂν ἀγάγῃ εἰς τοῦτο ὃ αὐτὸς δύναται ἔσχατον ποιεῖν.* b 16: *ἡ μὲν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς καὶ τοῦ εἴδους νόησις, ἡ δ' ἀπὸ τοῦ τελευταίου τῆς νοήσεως ποίησις.* Calor qui est in corpore, ultimum erat cogitationis, cum medicus quomodo bona valetudo restituenda esset secum reputabat, atque efficit sanitatem, cum eius pars sit. Quae prorsus eadem sententia legitur Z, 9. 1034 a 25: *τὸ γὰρ αἴτιον τοῦ ποιεῖν πρῶτον καθ' αὑτὸ μέρος. θερμότης γὰρ ἡ ἐν τῇ κινή-*

σει θερμότητα ἐν τῷ σώματι ἐποίησεν· αὕτη δ' ἐστὶν ἡ ὑγίεια ἢ μέρος, ἢ ἀκολουθεῖ αὐτῇ μέρος τι τῆς ὑγιείας ἢ αὐτὴ ἡ ὑγίεια· διὸ καὶ λέγεται ποιεῖν, ὅτι ἐκεῖνο ποιεῖ τὴν ὑγίειαν ᾧ ἀκολουθεῖ καὶ συμβέβηκε θερμότης. Pro quo vocabulo extremo assentimur Bonitzio, viro de Aristotelis metaphysicorum libris interpretandis praeclare merito, scribendum esse: *ἡ ὑγίεια.* Sententia autem enunciati extremi esse nobis videtur haec: quam ob causam calor qui est in corpore etiam dicitur efficere scil. sanitatem, propterea quod id efficit sanitatem, quod consequitur cuique accidit sanitas. Ubi enim calor corporis restitutus est, sanitas consequitur, quam ob causam calorem qui est in corpore sanitatis causam dicimus. Alia atque nos de hoc loco existimat Bonitzius, qui omisso *τὴν ὑγίειαν* accusativo explicat: *διὸ καὶ λέγεται ποιεῖν* (intell. *ἡ ἐν τῇ κινήσει θερμότης τὴν ὑγίειαν*), *ὅτι ἐκεῖνο* (intell. *τὴν ἐν τῷ σώματι θερμότητα*) *ποιεῖ, ᾧ ἀκολουθεῖ καὶ συμβέβηκεν ἡ ὑγίεια.* Quae explicatio ob hanc maxime causam probanda esse non videtur, quod *λέγεται* verbi subiectum propter ea quae antecedunt esse nequit nisi calor qui est in corpore. Sed iam revertamur ad locum priorem. Quae illa de quibus egimus verba sequuntur recte a Bonitzio putamus corrigi hoc modo: *οἷον τῆς οἰκίας οἱ λίθοι καὶ τῶν ἄλλων ἄλλα*: (hoc extremum autem est id quod efficit atque id quod ita se habet pars sanitatis est), veluti aedificii lapides, scil. pars sunt, et aliorum alia. Iam quaeritur, num hac ratione iusta efficiatur sententiarum cohaerentia. Quod vix crediderim. Nam in hunc modum si verba constituimus, confunduntur inter se causa efficiens et causa materialis. Itaque excidisse putamus sententiam qua Aristoteles ad causam materialem transierit. Quae fuerit illa sententia, certo dici non posse apparet. Attamen cum antecedat causae efficientis mentio atque sequatur commemoratio materiae, cuius natura est ea, ut patiatur, et quodcunque efficit alterum quod patiatur requirat: exempli causa inserere liceat sententiam hanc: ei autem quod efficit semper pars quae patiatur suppeditet necesse est. Itaque locum restituendum esse putamus in hunc fere modum:

τοῦτο δ' ἔσχατόν ἐστι τὸ ποιοῦν, καὶ τὸ οὕτως τὸ μέρος ἐστὶ τῆς ὑγιείας· (ἀεὶ δὲ τῷ ποιοῦντι ὑπάρχειν ἀναγκαῖον ἄλλο τι μέρος ὃ πάσχει), οἷον τῆς οἰκίας οἱ λίθοι, scil. *ὑπάρχουσι τῷ ποιοῦντι, καὶ τῶν ἄλλων ἄλλα. ὥστε καθάπερ λέγεται, ἀδύνατον γενέσθαι εἰ μηθὲν προϋπάρχοι. ὅτι μὲν οὖν τι μέρος ἐξ ἀνάγκης ὑπάρξει, φανερόν· ἡ γὰρ ὕλη μέρος· ἐνυπάρχει γὰρ καὶ γίγνεται αὕτη.*

Alia de hoc loco statuit Bonitzius, qui pro verbis: *καὶ τὸ οὕτως* scribere vult: *καὶ αὐτό πως*, ut haec sit sententia: *τὸ ποιοῦν* (intell. *ἡ τρῖψις*) *τοῦτο* (intell. *τὴν θερμότητα*), *ἔσχατον ὄν, καὶ αὐτό πως μέρος ἐστὶ τῆς ὑγιείας, ὁμοίως ὥσπερ τῆς οἰκίας οἱ λίθοι εἰσὶ μέρος καὶ τῶν ἄλλων ἄλλα.* Quibus assentiri non possumus. Primum enim frictionem; si quid video, ne quodammodo quidem partem sanitatis vocare licet. Tum, si cum Bonitzio facimus, causae diversi generis inter se confunduntur; nam frictio quidem est causa efficiens, contra lapides ad causam pertinent materialem. Itaque non licet dicere: *ἡ τρῖψις καὶ αὐτό πως μέρος ἐστὶ τῆς ὑγιείας, ὁμοίως ὥσπερ τῆς οἰκίας οἱ λίθοι εἰσὶ μέρος.*

Excursus II.

Locus qui reperitur Met. *Δ*, 10. in. difficillimus est, ita ut accuratius eum tractare atque etiam sententias ab aliis prolatas examinare necesse esse videatur. Ordiri autem liceat a commentatoribus veteribus atque ratione ea, ut singulis eorum explicationibus statim addamus recentiorum interpretum sententias eas quae illis aliqua ex parte sunt similes. Alexander Aphrodisiensis refert nobis interpretationem magistri, quae est haec (cf. Schol. in Aristot. coll. Brandis. p. 810 b 30seqq.): *ταῦτα εἰπὼν θεοφιλῶς καὶ φιλοσόφως λέγει ὅτι οὐδὲν τῶν ὄντων μάτην ἐστὶν ἀλλὰ πάντα συντέτακται καὶ συντελεῖ, εἰ*

καὶ ἡμῖν πολλὰ ἀγνοεῖται, πρὸς ἑνὸς κόσμου συμπλήρωσιν καὶ ἀπαρτισμὸν καὶ τὸ καλὸν αὐτοῦ καὶ ἄριστον καὶ εὖ. καὶ τίνα ἐστὶ τὰ συντεταγμένα πρὸς τὴν τοῦ ὅλου συμπλήρωσιν, καταλέγει, πτηνὰ πλωτὰ φυτὰ καὶ τὰ λοιπά. ἀλλ' εἰ καὶ πάντα πάντως συντελεῖ, ἀλλ' οὐχ ὁμοίως ἅπαντα, ἀλλὰ τὰ μὲν μᾶλλον τὰ δὲ ἧττον. τουτέστιν ἡ φύσις καὶ ἡ ἀρχὴ τῶν εἰς τὴν τοῦ ὅλου φύσιν συντεινόντων. καὶ οὐ λέγει περὶ πάντων ἁπλῶς νῦν, ἀλλὰ περὶ τῶν ἐν γενέσει ὄντων καὶ φθορᾷ. ἡ φύσις οὖν καὶ ἀρχὴ τούτων τοιαύτη [Recedit hic a verbis Aristotelis quae in codicibus reperiuntur atque interpretatur, quasi legerit: *τοιαύτη γὰρ ἑκάστου ἡ ἀρχὴ αὐτῶν καὶ ἡ φύσις ἐστίν.* Sed id levitati esse tribuendum videtur, qua interpretis munere functus est], *καὶ ποδαπή, ἐπάγει, „λέγω δ' οἷον εἴς γε τὸ διακριθῆναι ἀνάγκη ἅπασιν ἐλθεῖν," τουτέστιν ἀνάγκη ἅπασι τοῖς ἐν γενέσει (περὶ γὰρ τούτων νῦν, ὡς εἴρηται, λέγει) ἐλθεῖν εἰς τὸ διακριθῆναι, ἤτοι ἄλλο ἐξ ἄλλου γενέσθαι. εἰς τοῦτο γὰρ συνῆλθεν ἡ φύσις τῶν ἐν γενέσει, καὶ τοῦτο αὐτοῖς κοινόν, τὸ γίνεσθαι πάντα ἐκ πάντων, ἐκ στοιχείων σύνθετα καὶ ἐκ συνθέτων στοιχεῖα ἄλλον τρόπον. ὥστε δηλονότι τὰ ἐν γενέσει ἅπαντα κοινὸν ἔχουσιν τὸ ἐξ ἀλλήλων γίνεσθαι. εἰπὼν δὲ ὅτι τὰ ἐξ ἀλλήλων, ἐπάγει „καὶ ἄλλα — ὅλον," τουτέστιν οὐ μόνον κατὰ τὸ γίνεσθαι ἐξ ἀλλήλων κοινωνεῖ εἰς συμπλήρωσιν τοῦ ὅλου, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὰ ἄλλα, οἷον χρώματα, σχήματα, μεγέθη, ταῦτα γὰρ πάντα συντελεῖ εἰς τὴν τοῦ ὅλου φύσιν. οὐδὲν γὰρ αἰσθητὸν χωρὶς μεγέθους καὶ σχήματός ἐστιν.* Iam quae quominus hanc sententiam probemus obstare videntur, proferre liceat. Ac primum quidem interpres ille explicat, quasi Aristoteles non dixerit: *πάντα γὰρ συντέτακται πρὸς ἕν*, sed: *πάντα συμπληροῖ τὸ ὅλον.* Cuius sententiae omnino nihil inest in verbis philosophi, neque eam inde ducere possumus, cum Aristoteles de ordine mundi, non de complendo eo verba faciat. Deinde Alexandri magister in exponendis verbis: *λέγω δ' οἷον* et quae sequuntur, neglegit antea dictum esse: *ἀλλ' οὐχ ὁμοίως* atque interpretatur, quasi nihil antecedat nisi: *πρὸς ἓν γὰρ ἅπαντα συντέτακται.* Sive enim enunciato quod *λέγω δ' οἷον* verbis incipit ea quae

antea dicta sunt explicantur, sive iis adiungitur exemplum, utrumque enim hac formula significatur, varietatis notio abesse non potest. Nam cum antea dixerit philosophus variam rebus cum universo intercedere rationem pariter atque in familia, in iis quibus hoc exponit enumerare non potest, quae communiter omnia ad universum servandum conferant. Neque illa explicatio probatur iis quae Aristoteles disserit de ratione, quae inter domus sive familiae partes singulas intercedat. Non enim dixit omnes in familia valere aliquid ad totum efficiendum vel complendum, sed aliis aliam cum toto esse rationem, ita ut alii artius cum toto conexi sint, laxius alii. Tum quomodo *διακρίνεσθαι* verbo significari potest: alterum oriri ex altero? Denique nullo modo *ἅπαντα* referre licet ad solas res mortales, cum philosophus verba faciat de hac rerum universitate. Quam ob causam iam Alexander Aphrodisiensis hanc explicationem reicit.

Eandem fere atque Alexandri magister *διακρίνειν* verbo notionem subicit Bonitzius atque sententiarum cohaerentiam statuit illi certe aliqua ex parte similem. „Omnia enim," ait, „cum omnibus cohaerent et ad unum tendunt. Iam veluti in civitate non eadem est omnium auctoritas neque iisdem legibus omnes sunt adstricti, sed maior auctoritas civium liberorum, minor ac prope nulla servorum, ac propterea illi quid ad civitatem conferre debeant accuratissime est descriptum, horum libidini plurimum permittitur: eadem fere mundi est ratio. Pro sua quidque natura suam ad universi mundi ordinem confert partem; sed plurimum conferunt aeternae siderum substantiae, has enim videtur ingenuis comparare civibus, quapropter artissima lege eorum vita et actio descripta est; exigua conferunt eae res, quae fiunt et intereunt, animalia plantae reliqua, qua de causa plurima in iis fortunae et casui potuerunt permitti. Sunt tamen quaedam, quae hae etiam res ad consummandum mundum conferunt, veluti alterius generatio ex alterius interitu (*οἷον εἴς γε τὸ διακριθῆναι κτλ.* a 23) aliaque quae communiter omnia conferunt ad servandum mundi ordinem." Omittamus quod homo doctissimus

pro domo dicit civitatem, cum sive domus sive civitatis statuis similitudinem, res ad idem fere redeat. In universum autem dicere audemus explicationem paullo longius recedere a verbis philosophi. Atque sunt aliae praeterea causae, quae quominus in eandem cum Bonitzio sententiam concedamus impediunt. Primum enim sententia quam Bonitzius *διακρίνεσθαι* verbo subicit: rerum interitu aliarum effici generationem, libros Aristoteleos legentibus saepius occurrit, cf. de gen. et corr. I, 3. 318 a 23, tamen nusquam *διακρίνεσθαι* verbo redditur, quod Bonitzius ipse concedere videtur, cum ne unum quidem huius usus exemplum attulerit. Deinde in hac interpretatione inest idem propter quod Alexander Aphrodisiensis magistri sententiam reprobat. Refert enim Bonitzius et ipse *ἅπασιν* vocem ad eas solas res quae fiunt et intereunt, quod eo minus admittendum est, cum *ἅπαντα* in enunciato iuxta posito: *καὶ ἄλλα οὕτως ἐστί, ὧν κοινωνεῖ ἅπαντα εἰς τὸ ὅλον*, ad omnes omnino quae exstent res pertinere velit. Pergit enim: aliaque quae communiter omnia conferunt ad servandum mundi ordinem. Denique non satis sibi constare videtur vir eruditissimus in explicatione. Nam primum verba facit de mundi ordine efficiendo et conservando, deinde de mundo consummando, tum ad universi mundi ordinem redit.

Iam videamus, quid Alexander Aphrodisiensis de loco quem tractamus statuerit. Cuius verba sunt haec (cf. Schol. in Aristot. coll. Brandis. p. 811 a 8seqq.): *τὸ ἅπασιν οὐκ ἐπὶ τῶν ἐν γενέσει μόνον ἀκούειν δεῖ, ἀλλ' ἐπὶ πάντων καὶ αὐτῶν φημὶ τῶν κυκλοφορητικῶν καὶ θείων σωμάτων, ἵν' ᾖ τὸ λεγόμενον, ἀνάγκη ἅπασι καὶ τοῖς ἐν γενέσει καὶ τοῖς κυκλοφορητικοῖς ἐλθεῖν εἰς τὸ διακριθῆναι ἤτοι συστῆναι· οὕτως γὰρ Ἀναξαγόρας ἔλεγεν, ὅτι διακρίνας ὁ νοῦς ἀπ' ἀλλήλων τὰς ὁμοιομερείας συνέστησε τὸ πᾶν· τὸ δὲ „καὶ ἄλλα οὕτως ἐστὶν ὧν κοινωνεῖ ἅπαντα εἰς τὸ ὅλον" συνεχὲς ἂν εἴη τῷ περὶ τῆς πολιτείας ὑποδείγματι· ὡς εἰ ἔλεγεν, ὥσπερ ἐπὶ τῇ τῆς πολιτείας συστάσει πάντα κοινωνεῖ ἀλλήλοις, οὕτως εἰσὶ καὶ ἄλλα τινὰ κοινωνοῦντα καὶ βοηθοῦντα ἀλλήλοις εἰς τὴν τοῦ ὅλου συμπλήρωσιν.* Quae interpretatio iam nobis examinanda est.

Ac primum quidem Alexandro opponimus *διακρίνειν* verbum significare non posse idem atque componere. Nam etiamsi ubi discernimus nova compositio rerum exsistere solet, tamen ubi componi res dicere volumus non licet dicere eas discerni. Itaque *διακριθῆναι* non idem esse potest quod *συστῆναι*. Atque verba Anaxagorae quae Alexander ad explicationem suam tuendam affert ipsi plus officiunt quam prosunt. Nam accurate ibi Anaxagoras duas illas dei actiones inter se distinguit. Primum enim secernentem deum facit semina e materia confusa et indigesta, tum ea componentem eiusmodi, ut hanc rerum universitatem efficiant. Praeterea si facimus cum Alexandro, admodum perturbatus est sententiarum ordo. Vult enim Alexander verba inde ab *ἀλλ' ὥσπερ ἐν οἰκίᾳ* usque ad *κοινωνεῖν ἅπαντα εἰς τὸ ὅλον* unam efficere periodum, cuius protasis contineatur verbis: *ἀλλ' ὥσπερ ἐν οἰκίᾳ τοῖς ἐλευθέροις ἥκιστα ἔξεστιν ὅ τι ἔτυχε ποιεῖν, ἀλλὰ πάντα ἢ τὰ πλεῖστα τέτακται, τοῖς δ' ἀνδραπόδοις καὶ τοῖς θηρίοις μικρὸν τὸ εἰς τὸ κοινόν, τὸ δὲ πολὺ ὅ τι ἔτυχεν·* apodosis his: *καὶ ἄλλα οὕτως ἐστὶν ὧν κοινωνεῖ ἅπαντα εἰς τὸ ὅλον.* Quod si facimus, duae sententiae explicationis causa interpositae sunt: *τοιαύτη γὰρ ἑκάστου ἀρχὴ αὐτῶν ἡ φύσις ἐστίν* et: *λέγω δ' οἷον εἴς γε τὸ διακριθῆναι ἀνάγκη ἅπασιν ἐλθεῖν*, quarum prior, si tali modo periodum componimus, necesse est spectet ad civitatem (*τὴν πολίτειαν* enim Alexander pro *τῇ οἰκίᾳ* Aristotelis substituit), alteram Alexander refert ad mundum. Sed qui fieri potest, ut si antea philosophus verba fecit de civitate, sententia quae *λέγω δ' οἷον* verbis incipit pertineat ad mundum de quo postea agitur, cum *λέγω δ' οἷον* formula sit explicantis? Praeterea si Alexander contextum inter verba: *ἀλλ ὥσπερ ἐν οἰκίᾳ — φύσις ἐστίν* et *καὶ ἄλλα οὕτως ἐστὶν ὧν κοινωνεῖ ἅπαντα εἰς τὸ ὅλον*, statuit intercedere hunc: *ὥσπερ ἐπὶ τῇ τῆς πολιτείας συστάσει πάντα κοινωνεῖ ἀλλήλοις, οὕτως εἰσὶ καὶ ἄλλα τινὰ κοινωνοῦντα καὶ βοηθοῦντα ἀλλήλοις εἰς τὴν τοῦ ὅλου συμπλήρωσιν*, a verbis Aristotelis longissime recedit. Nam philosophus non dixit in civitate vel potius familia omnia inter se esse coniuncta, id quod vult

Alexander, sed aliis aliam cum toto esse necessitudinem. Neque in hac sententiarum cohaerentia *ἄλλα* dicere potuit Aristoteles in enunciatione: *καὶ ἄλλα οὕτως ἐστὶν ὧν κοινωνεῖ ἅπαντα*, ut significaret res quae sunt in mundo. Sed haec quidem satis sint, quamvis multa praeterea alia proferre possimus contra Alexandrum. Non enim pluribus opus videtur esse ad sententiam illam refutandam. Quam ob causam iam progrediamur ad Schweglerum, qui eandem atque Alexander sententiarum contextum statuit; quocirca verba distingui iubet ratione hac: *καὶ οὐχ οὕτως ἔχει ὥστε μὴ εἶναι θατέρῳ πρὸς θάτερον μηθέν, ἀλλ' ἐστί τι, πρὸς μὲν γὰρ ἓν ἅπαντα συντέτακται· ἀλλ' ὥσπερ ἐν οἰκίᾳ τοῖς ἐλευθέροις ἥκιστα ἔξεστιν ὅ τι ἔτυχεν ποιεῖν, ἀλλὰ πάντα ἢ τὰ πλεῖστα τέτακται, τοῖς δὲ ἀνδραπόδοις καὶ τοῖς θηρίοις μικρὸν τὸ εἰς τὸ κοινόν, τὸ δὲ πολὺ ὅ τι ἔτυχεν (τοιαύτη γὰρ ἑκάστου ἀρχὴ αὐτῶν ἡ φύσις ἐστίν. λέγω δ' οἷον εἴς γε τὸ διακριθῆναι ἀνάγκη ἅπασιν ἐλθεῖν), καὶ ἄλλα οὕτως ἐστὶν ὧν κοινωνεῖ ἅπαντα εἰς τὸ ὅλον.* Pariter igitur atque Alexander Aphrodisiensis verba *ἀλλ' ὥσπερ — τὸ δὲ πολὺ ὅ τι ἔτυχεν* protasin esse sumit, cuius apodosis contineatur his: *καὶ ἄλλα οὕτως ἐστίν κτλ.* Verba autem *ὧν ἅπαντα* significare putat idem atque *ἃ ἅπαντα* atque ad *κοινωνεῖ* verbum animo addit *ἀλλήλοις* dativum, hac quoque in re Alexandrum secutus, et interpretatur locum in hunc fere modum: Sed quemadmodum in domo ingenuis minime facere licet quod lubet, cum omnia aut pleraque iis sint descripta, contra servi et animalia domestica pauca in salutem communem faciunt et plerumque quod primum obvenit (tale enim principium sua cuique est natura; dico autem omnia secernantur necesse esse „es müsse alles zur Ausscheidung kommen"): eadem ratione etiam res reliquae se habent, e quibus omnes participant omnes in salutem universitatis. Quae in commentario explicat sic: Quemadmodum in domo ii quibus consistit vario modo ad totum conservandum conferunt, eadem ratione res se habet in mundo, in quo omnia inter se sunt coniuncta atque conexa ad efficiendam et conservandam rerum summam. Intellexit autem Schweglerus, ut sententia

quam vult efficiatur, opus esse mutatione. In quo per se, dummodo exsistat sententia apta, non offendimur, etiamsi omnes codices inter se consentiunt neque credere licet commentatores veteres in libris quibus usi sunt alia atque nos reperisse. Ponit autem Schweglerus pro *ἄλλα* vocabulo *τἄλλα*, quibus res omnes quae hanc rerum universitatem conficiant vult significari. Sed ne tum quidem intellegi possunt res ex quibus mundus constat. Quomodo enim quis dicere potest: „uti in domo ii e quibus constat, sic etiam res reliquae se habent“, si res dicere vult quae hunc mundum efficiunt? Neque hac sola mutatione opus est Schweglero. Vidit enim obstare interpretationi suae enunciatum: *λέγω δ' οἷον εἴς γε τὸ διακριθῆναι ἀνάγκη ἅπασιν ἐλθεῖν*, si eum quem nunc locum obtinet, quocirca transponit post verba: *καὶ ἄλλα οὕτως ἐστὶν ὧν κοινωνεῖ ἅπαντα εἰς τὸ ὅλον.* Quam traiectionem, quamvis contra omnes codices et commentatorum veterum interpretationes sit, tamen facile concedimus Schweglero, modo ista ratione locus apte explicetur. Inquiramus igitur in sententiam quae, Schweglerum si sequimur, exsistit. Est autem haec: Quemadmodum in familia variae eius partes varie ad salutem communem conferunt, sic etiam in hoc mundo res omnes inter se coniunctae sunt, ut hanc rerum universitatem efficiant et conservent. Necesse enim est omnes inter se segregentur et disponantur. (Ipse in commentario ait: „es muss alles zur Sonderung und Gliederung kommen“). Iam, quaeso, quaenam est comparatio haec: Quemadmodum in familia variae eius partes varie ad salutem communem conferunt, sic etiam in mundo res omnes inter se coniunctae sunt, ut hoc universum efficiant et conservent? Deest enim in apodosi notio varietatis, atque ob hanc causam sententiae inter se non respondent. Profecto comparationem tantopere claudicantem Aristoteli crimini dare non possumus. Neque minus improbatur ratio quae enunciato: *λέγω δ' οἷον εἴς γε τὸ διακριθῆναι ἀνάγκη ἅπασιν ἐλθεῖν* in eo quem tribuit Schweglerus loco cum prioribus intercedit. Etenim cum in sententiarum cohaerentia quam Schweglerus statuit *λέγω δ' οἷον* formula signum

esse non possit nisi sententiae explicativae, hac enunciatione Aristotes explicat, qui fiat, ut res omnes in hoc mundo inter se coniunctae ac conexae sint, idque ita, ut dicat omnes necesse esse inter se segregentur. Reiciamus igitur Schwegleri interpretationem.

Denique proferamus sententiam Trendelenburgii (cf. Hist. Beitr. II. p. 156): „In Metaphysik XII, 10 wird von der Ordnung der Welt gehandelt und es heisst da: es verhalte sich nicht so, dass eins mit dem andern nichts gemein habe, sondern Alles sei sammt und sonders zu Einem geordnet, nur nicht auf dieselbige Weise. Wie in einem Hause den Freien am wenigsten zusteht, Zufälliges und Beiläufiges zu thun, sondern Alles oder das Meiste geordnet ist, aber die Sclaven und Thiere wenig Beziehung zur Gemeinschaft haben und meistens Zufälliges und Beiläufiges verrichten, so ist es überhaupt in der Welt und nach dem Principe, das in jedes Dinges Natur liegt. Indem sich die Dinge scheiden und sondern, bleibt anderes, was sie für das Ganze gemeinsam thun.“ Quibus apponere expedit notam additam: „Die Stelle hat in der Construction wie im Einzelnen Schwierigkeiten und wir haben nur den allgemeinen Sinn wiedergegeben. Das *εἴς γε τὸ διακριθῆναι* scheint, so unbeholfen auch der Ausdruck ist, auf ähnliche Weise, wie der *νοῦς* des Anaxagoras scheidet und ordnet auf diese Scheidung und die dadurch bedingte Mannigfaltigkeit zu gehen.“ A qua interpretatione nostra certe non abhorret. Nam nos quoque *διακριθῆναι* verbo varietatem quandam significari putamus, eam autem contineri eo, ut suus cuique locus ac sua agendi ratio concedatur.

Excursus III.

Verba quae leguntur Phys. II, 6. 198 a 2: *τὸν δὲ τρόπον τῆς αἰτίας ἐν τοῖς ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως ἑκάτερον αὐτῶν· ἢ γὰρ τῶν φύσει τι ἢ τῶν ἀπὸ διανοίας αἴτιον ἀεί ἐστιν·* interpretari possis: causam autem, scil. quae casum et fortem efficit, si respicimus, utrumque in iis unde initium motionis est; nam semper aliquid aut eorum quae natura sunt aut quae a cogitatione proficiscuntur, causa est, scil. per quam casus et fors oritur. Attamen si cohaerentiam quae his cum antecedentibus est consideramus, in sententiam induci videmur aliam. Postquam enim Aristoteles capite tertio quot causae agnoscendae essent exposuit, ineunte capite quarto inquirendum esse ait, casui et forti quae ratio cum illis intercedat: *Λέγεται δὲ καὶ ἡ τύχη καὶ τὸ αὐτόματον τῶν αἰτίων, καὶ πολλὰ καὶ εἶναι καὶ γίνεσθαι διὰ τύχην καὶ διὰ τὸ αὐτόματον· τίνα οὖν τρόπον ἐν τούτοις ἐστὶ τοῖς αἰτίοις ἡ τύχη καὶ τὸ αὐτόματον, καὶ πότερον τὸ αὐτὸ ἡ τύχη καὶ τὸ αὐτόματον ἢ ἕτερον, καὶ ὅλως τί ἐστιν ἡ τύχη καὶ τὸ αὐτόματον ἐπισκεπτέον.* Quibus dictis num casus et fors agnoscatur necesse sit et quae alii de iis statuerint disserit. Exeunte autem capite easdem quas supra quaestiones profert. Iam capite quinto quae ratio casui et forti sit cum causa finali inquirit, cf. 196 b 32: *νῦν δὲ τοῦτο ἔστω φανερόν, ὅτι ἄμφω ἐν τοῖς ἕνεκά τού ἐστιν.* 197 a 32: *ἔστι μὲν οὖν ἄμφω αἴτια, καθάπερ εἴρηται, κατὰ συμβεβηκός, καὶ ἡ τύχη καὶ τὸ αὐτόματον, ἐν τοῖς ἐνδεχομένοις γίγνεσθαι μὴ ἁπλῶς μηδ' ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, καὶ τούτων ὅσ' ἂν γένοιτο ἕνεκά του.* In capite sexto autem postquam quo casus et fors inter se differrent exposuit, 198 a 2 dicit: *τὸν δὲ τρόπον τῆς αἰτίας ἐν τοῖς ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως ἑκάτερον αὐτῶν· ἢ γὰρ τῶν φύσει τι ἢ τῶν ἀπὸ διανοίας αἴτιον ἀεί ἐστιν·* Quibus casum et fortem apparet comparari causae efficienti. Iam si inter se conferuntur haec: *τίνα οὖν τρόπον ἐν τούτοις ἐστὶ τοῖς αἰτίοις ἡ τύχη καὶ τὸ αὐτόματον*

κτλ., c. 4. 195 b 33, *νῦν δὲ τοῦτο ἔστω φανερόν, ὅτι ἄμφω ἐν τοῖς ἕνεκά τού ἐστιν*, c. 5. 196 b 32, *τὸν δὲ τρόπον τῆς αἰτίας ἐν τοῖς ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως ἑκάτερον αὐτῶν*, c. 6. 198 a 2, scribendum videtur esse: *ἄλλον δὲ τρόπον τῆς αἰτίας*. Nam *ἕνα μὲν τρόπον τῆς αἰτίας ἄμφω ἐν τοῖς ἕνεκά τού ἐστιν, ἄλλον δὲ ἐν τοῖς ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως*.

Quae si vera sunt, *ἄλλον* vocabuli mutationem non casui vel errori, sed consilio librarii tribuendam esse putamus. Neque causa cur mutaverit difficilis est ad videndum. Nam perturbatus aliqua ex parte est disputationis ordo, cum Aristoteles, postquam casum comparavit causae finali, non statim addat, quae ratio ei sit cum causa efficienti, sed disputationem interponit de discrimine quod inter casum et fortem intercedat. Itaque si quis quae hanc expositionem antecedunt non satis memoria tenuit, *ἄλλον δὲ τρόπον τῆς αἰτίας* nullo modo intellegere poterat ideoque mutavit. Quod autem disputationis quem exspectas ordinem Aristoteles non servavit, causa sita esse in eo videtur, quod ubi casum et fortem inter se distinguit, finali maxime causa nititur, cf. c. 6. 197 b 18: *ὥστε φανερὸν ὅτι ἐν τοῖς ἁπλῶς ἕνεκά του γινομένοις, ὅταν μὴ τοῦ συμβάντος ἕνεκα γένηται οὗ ἔξω τὸ αἴτιον, τότε ἀπὸ ταὐτομάτου λέγομεν· ἀπὸ τύχης δέ, τούτων ὅσα ἀπὸ ταὐμάτου γίνεται τῶν προαιρετῶν τοῖς ἔχουσι προαίρεσιν*. b 30 seqq. Itaque erat, cur Aristoteles disputationis ordine quem instituerat aliqua ex parte neglecto haec statim adiungeret iis quae de necessitudine inter causam finalem et casum fortemque intercedente disseruerat.

Excursus IV.

Met. *Λ*, 1072 b 14seqq. in libris manu scriptis leguntur haec: *διαγωγὴ δ' ἐστὶν οἵα ἡ ἀρίστη μικρὸν χρόνον ἡμῖν· οὕτω γὰρ ἀεὶ ἐκεῖνό ἐστιν (ἡμῖν μὲν γὰρ ἀδύνατον), ἐπεὶ καὶ ἡ ἡδονὴ ἐνέργεια τούτου*.

E quibus maxime considerandum et examinandum est enunciatum: ἐπεὶ καὶ ἡ ἡδονὴ ἐνέργεια τούτου. Quae codicum verba si retinemus, id quod Brandisius, Bekkerus, Schweglerus fecerunt, argumentatio est haec: Deus semper utitur vita optima, cum etiam voluptas actus eius sit. [Schweglerus: „Da auch das Vergnügen ein actueller Zustand desselben ist.“] Sed unde scimus voluptatem esse numinis divini actum? Itaque sententia prior comprobatur altera, quae et ipsa demonstranda est. Accedit quod quomodo haec et ea quae sequuntur inter se conectenda sint nullo modo intellegitur. Quae enim est sententiarum cohaerentia haec: Deus semper utitur vita optima, cum etiam voluptas actus eius sit; atque ob hanc causam expergefieri, percipere, cogitare iucundissimum est? Nam expergisci et percipere numen divinum nullo modo attingunt, neque inde quod deus semper utatur voluptate consequitur, ut expergefieri, percipere, cogitare hominibus aliquid gratum sit ac iucundum. Itaque in verbis qualia exstant in codicibus acquiescere non possumus. Contra Alexander Aphrodisiensis et Themistius in libris quibus usi sunt videntur reperisse: ἐπεὶ καὶ ἡδονὴ ἡ ἐνέργεια τούτου. Atque etiam in E codice adscriptum est: γρ καὶ ἡδονὴ ἡ ἐνέργεια. Quae eadem leguntur in editione Aldina et Sylburgiana, et recepit ea Bonitzius. In quem modum si verba constituimus, sententia exsistit haec: Deus vita utitur optima, cum etiam voluptatem actus eius afferat. Sed tum quoque argumentatio claudicat, cum sententia: actum dei etiam voluptatem afferre, non per se sit certa ac firma. Neque expositio apte procedit ad ea quae subsequuntur: (ἐπεὶ καὶ ἡδονὴ ἡ ἐνέργεια τούτου) καὶ διὰ τοῦτο ἐγρήγορσις αἴσθησις νόησις ἥδιστον κτλ. „(Cum etiam voluptatem actus eius afferat); atque ob hanc causam expergefieri, percipere, cogitare iucundissimum est.“ Non enim licet, id quod facit Bonitzius, διὰ τοῦτο interpretari: quia ἡ ἐνέργειά ἐστιν ἡδονή, cum antecedat: ἐπεὶ καὶ ἡδονὴ ἡ ἐνέργεια τούτου. Sed verissime monuit Bonitzius διὰ τοῦτο significare: ἐπεὶ καὶ ἡδονὴ ἡ ἐνέργεια. Itaque apparet τούτου genetivum delendum esse. Quo facto omnis in hoc loco offen-

sio tollitur. Antea enim Aristoteles demonstraverat primam substantiam esse actum aeternum. Atqui actus voluptatem affert; quae est constans Aristotelis sententia, cf. Eth. Nic. VII, 13. 1153 a 12. X, 4. 1174 b 23. Ergo prima substantia, cum ab omni aeternitate in actu versetur, et voluptate utitur et semper ea utitur. Optime igitur haec argumentatio se habet, neque minus facilis est disputationis ad ea quae sequuntur transitus: Deus semper vita utitur. beatissima, cum etiam voluptatem actus efficiat; atque ob hanc causam, h. e. propterea quod etiam voluptas actum consequitur, expergisci, percipere, cogitare est iucundissimum. Videtur autem *τούτου* genetivus insertus esse ab aliquo, qui cum sententiarum cohaerentiam non satis intellegeret, illud: *ἐπεὶ καὶ ἡδονὴ ἡ ἐνέργεια*, referri non posse nisi ad deum opinabatur. Quo modo multos apud Aristotelem locos corruptos esse unusquisque concedet, qui in metaphysicorum libris a Bonitzio editis verba ab homine doctissimo uncis inclusa consideraverit.

Excursus V.

De anim. III, 6. 430 b 6seqq. Aristoteles tria individuorum genera distinguit. Ac primum quidem verba facit de individuo quod in quantita positum est, veluti linea et tempus, b 6—14. Deinde progeditur ad individuum notionis, b 14. 15. Denique profert id quod privatione individuum est, veluti punctum et temporis momentum, b. 20. 21. Quae inde a. v. b 16 usque ad v. b 20 leguntur: *κατὰ συμβεβηκὸς δέ, καὶ οὐχ ᾗ ἐκεῖνα διαιρετά, ᾧ νοεῖ καὶ ἐν ᾧ χρόνῳ, ἀλλ' ᾗ ἀδιαίρετα· ἔνεστι γὰρ κἀν τούτοις τι ἀδιαίρετον, ἀλλ' ἴσως οὐ χωριστόν, ὃ ποιεῖ ἕνα τὸν χρόνον καὶ τὸ μῆκος. καὶ τοῦθ' ὁμοίως ἐν ἅπαντί ἐστι τῷ συνεχεῖ καὶ χρόνῳ καὶ μήκει*, magnam habent difficultatem. Primum enim e sententia extrema

satis apparet dici haec de individuo quantitatis. Sed iam b 14 Aristoteles transierat ad notionis individuum considerandum: *τὸ δὲ μὴ κατὰ ποσὸν ἀδιαίρετον ἀλλὰ τῷ εἴδει νοεῖ ἐν ἀδιαιρέτῳ χρόνῳ καὶ ἀδιαιρέτῳ τῆς ψυχῆς.* Neque cur philosophus iustum disputationis ordinem deseruerit causa intellegitur. Itaque his hoc loco interpositis sententiarum cohaerentia perturbatur. Sed consideremus locum accuratius ac primum quidem verba: *ἔνεστι γὰρ κἂν τούτοις τι ἀδιαίρετον, ἀλλ' ἴσως οὐ χωριστόν, ὃ ποιεῖ ἕνα τὸν χρόνον καὶ τὸ μῆκος. καὶ τοῦθ' ὁμοίως ἐν ἅπαντί ἐστι τῷ συνεχεῖ καὶ χρόνῳ καὶ μήκει.* Quibus, si per se leguntur, apparet doceri, in unoquoque continuo et in tempore et in linea inesse aliquid, idque ab illo non seiunctum, quod ut continuum sit unum efficiat. Quod quid sit, etsi Aristoteles non dicit, tamen significari videtur motio una et continens quae illud procreat. Iam examinemus haec: *κατὰ συμβεβηκὸς δέ, καὶ οὐχ ᾗ ἐκεῖνα διαιρετά, ᾧ νοεῖ καὶ ἐν ᾧ χρόνῳ, ἀλλ' ᾗ ἀδιαίρετα· ἔνεστι γὰρ κἂν τούτοις τι ἀδιαίρετον, ἀλλ' ἴσως οὐ χωριστόν, ὃ ποιεῖ ἕνα τὸν χρόνον καὶ τὸ μῆκος.* In quibus cum illud *ᾧ νοεῖ* esse nequeat nisi actio mentis, philosophus dicit etiam in actione mentis et in tempore inesse aliquid, idque ab iis fortasse non seiunctum, quod unum efficiat et tempus et lineam. Sed primum mirum est, tempus et actionem mentis inter se componi. Tum non intellegitur, quid tempus ut linea sit una conferat. Denique haec non respondent sententiae quae supra nobis emersit: in continuo ipso unitatis causam inesse. Quae sententia si vera est, in enunciato: *ἔνεστι γὰρ κἂν τούτοις τι ἀδιαίρετον, ἀλλ' ἴσως οὐ χωριστόν, ὃ ποιεῖ ἕνα τὸν χρόνον καὶ τὸ μῆκος, ταῦτα* (*κἂν τούτοις*) esse non possunt nisi linea et tempus. Cum autem *ταῦτα* spectent ad *ᾧ νοεῖ καὶ ἐν ᾧ χρόνῳ*, illud *ᾧ νοεῖ*, ut haec inter se conveniant, mutandum est eo modo, ut linea intellegi possit. Quod fit, si pro dativo ponimus accusativum: *ὃ νοεῖ.* Iam vero non amplius haec verba locum quem nunc tenere possunt. Cum autem pertineant ad individuum quantitatis, ante omnia videndum est, num si reliquae de hoc individuorum genere expo-

sitioni adiunguntur, sententiae apte inter se cohaereant. Quo facto Aristoteles b 11 seqq. ait: Sin autem mens seorsum cogitat utramque lineae partem, simul etiam tempus dividit. Cogitat enim tum, si hoc facit, lineam, quasi sint lineae. Ubi autem lineam cogitat, quasi sit ex utraque parte composita, h. e. si ita cogitat lineam, ut sit una, sed tamquam e duabus partibus constans, etiam in temporis spatio cogitat quod in utraque parte est. [Cogitat igitur tum et lineam et tempus divisum]; sed per accidens, et non quatenus illa dividua sunt, quod cogitat (intell. lineam) et in quo tempore, sed quatenus sunt individua. (Cogitatione enim sola mens dividit, quae per se sunt individua). Nam etiam in his aliquid individuum est, idque fortasse ab iis non seiunctum, quod efficit unum et tempus et lineam. Atque hoc in unoquoque est individuo et in tempore et in linea. Quod autem non quantitate individuum est, sed notione, cogitat in tempore individuo et individua mentis actione.

Quae omnia satis apte procedere videntur. Causam vero loci corrupti si quaeris, putamus praetermissum ab aliquo fuisse et in margine adscriptum enunciatum: *τὸ δὲ μὴ κατὰ ποσὸν ἀδιαίρετον ἀλλὰ τῷ εἴδει νοεῖ ἐν ἀδιαιρέτῳ χρόνῳ καὶ ἀδιαιρέτῳ ψυχῆς*, et postea loco alieno ab alio esse insertum. Atque erat cur hoc maxime loco ille haec interponeret. Nam si verba sola respicis, his aliquid similitudinis intercedit cum iis ante quae in codicibus collocata sunt: *κατὰ συμβεβηκὸς δέ, καὶ οὐχ ᾗ ἐκεῖνα διαιρετά, ὃ νοεῖ καὶ ἐν ᾧ χρόνῳ, ἀλλ' ᾗ ἀδιαίρετα.* Postquam autem illa sententia hoc loco inserta fuit, aliquis propter verba: *ἐν ἀδιαιρέτῳ χρόνῳ καὶ ἀδιαιρέτῳ τῆς ψυχῆς* b 15, *ὃ νοεῖ καὶ ἐν ᾧ χρόνῳ* b 16, ut illis convenirent, mutavit in *ᾧ νοεῖ καὶ ἐν ᾧ χρόνῳ.*

Locus similis est de anim. III, 3. 428 a 24: *φανερὸν τοίνυν ὅτι οὐδὲ δόξα μετ' αἰσθήσεως, οὐδὲ δι' αἰσθήσεως, οὐδὲ συμπλοκὴ δόξης καὶ αἰσθήσεως φαντασία ἂν εἴη, διά τε ταῦτα καὶ δῆλον ὅτι οὐκ ἄλλου τινός ἐστιν ἡ δόξα, ἀλλ' ἐκείνου ἐστὶν οὗ καὶ αἴσθησις· λέγω δ', εἰ* (cf. Trendelenb. comment. p. 457 sq.) *τῆς τοῦ λευκοῦ δόξης καὶ αἰσθήσεως ἡ*

συμπλοκὴ φαντασία ἐστίν· οὐ γὰρ δὴ ἐκ τῆς δόξης μὲν τῆς τοῦ ἀγαθοῦ, αἰσθήσεως δὲ τῆς τοῦ λευκοῦ.

Incipiamus a. v. a 28: *λέγω δ', εἰ τῆς τοῦ λευκοῦ δόξης καὶ αἰσθήσεως ἡ συμπλοκὴ φαντασία ἐστὶν κτλ.* Cum *λέγω δέ* formula explicationi inserviat, ad quam sententiam haec spectent quaeritur. Profecto non ad ea quae proxime antecedunt: *διά τε ταῦτα καὶ δῆλον ὅτι οὐκ ἄλλου τινός ἐστιν ἡ δόξα, ἀλλ' ἐκείνου ἐστὶν οὗ καὶ αἴσθησις,* sed ad sententiam: *φανερὸν τοίνυν ὅτι οὐδὲ δόξα μετ' αἰσθήσεως, οὐδὲ δι' αἰσθήσεως, οὐδὲ συμπλοκὴ δόξης καὶ αἰσθήσεως φαντασία ἂν εἴη.* Cur autem haec inter se seiuncta sint, causa apparet prorsus nulla. Atque accedit aliud quid. Cum dicatur: *φάνερὸν τοίνυν ὅτι οὐδὲ δόξα μετ' αἰσθήσεως, οὐδὲ δι' αἰσθήσεως, οὐδὲ συμπλοκὴ δόξης καὶ αἰσθήσεως φαντασία ἂν εἴη, διά τε ταῦτα καὶ δῆλον ὅτι οὐκ ἄλλου τινός ἐστιν ἡ δόξα, ἀλλ' ἐκείνου ἐστὶν οὗ καὶ αἴσθησις,* inde quod phantasia esse non possit opinio cum sensuum perceptione coniuncta aut opinio quae per sensuum perceptionem efficitur, colligitur opinionis et perceptionis obiectum esse idem. Quod prorsus contra fit, atque inde quod opinio eodem quo sensuum perceptio utitur obiecto (semper enim opinio pertinet ad res quae sensibus percipiuntur) consequitur, ut phantasia esse nequeat opinio cum perceptione coniuncta. Nam cum obiecta sint eadem, utramque actionem si conciliaveris, novi quidquam non exsistet, cf. 428 b 1: *τὸ οὖν φαίνεσθαι ἔσται* (sic cum Trendelenburgio scribendum esse putamus) *τὸ δοξάζειν ὅπερ αἰσθάνεται μὴ κατὰ συμβεβηκός.* Itaque verba Aristotelis redigenda sunt in hunc ordinem: *διά τε ταῦτα καὶ δῆλον ὅτι οὐκ ἄλλου τινός ἐστιν ἡ δόξα, ἀλλ' ἐκείνου ἐστὶν οὗ καὶ αἴσθησις. φανερὸν τοίνυν ὅτι οὐδὲ δόξα μετ' αἰσθήσεως, οὐδὲ δι' αἰσθήσεως, οὐδὲ συμπλοκὴ δόξης καὶ αἰσθήσεως φαντασία ἂν εἴη. λέγω δ', εἰ τῆς τοῦ λευκοῦ δόξης καὶ αἰσθήσεως ἡ συμπλοκὴ φαντασία ἐστίν· οὐ γὰρ δὴ ἐκ τῆς δόξης μὲν τῆς τοῦ ἀγαθοῦ, αἰσθήσεως δὲ τῆς τοῦ λευκοῦ· τὸ οὖν φαίνεσθαι ἔσται τὸ δοξάζειν ὅπερ αἰσθάνεται μὴ κατὰ συμβεβηκός.*

Index locorum ubi codicum verba mutavimus.